



DE ARISTOPHANIS
EQVITVM
LYSISTRATAE THESMOPHORIAZVSARVM
APVD SVIDAM RELIQVIIS

AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORVM ORDINE

ACADEMIAE WILHELMAE ARGENTINENSIS

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

GEORGIVS BVENGER
BVRGENSIS

ARGENTORATI
APVD CAROLVM I. TRVEBNER.
MDCCCLXXVIII.

GVILELMO · STVDEMVNDO

RVDOLFO · SCHOELLIO

PRAECEPTORIBVS

S.

§ 1.

Inter omnes scriptores Graecos in Suidae lexico citatos principem locum obtinet Aristophanes comicus. Tribus enim milibus quadringentis uno locis, si calculos recte adhibui, huius poetae fabulae citantur, et plus quinque milia uersuum ex undecim comoediis in Suidae scriniis adseruantur[1]). Atque ut appareat quantopere apud Suidam Aristophanes ceteros scriptores superet, hic adiciam quotiens nonnulli alii scriptores ab eodem lexicographo citati sint[2]):

Poetae:

Homerus locis 504 (ex Iliade 370, ex Odyssea 130), Hesiodus 43; Archilochus 13, Sappho 4, Alcaeus 11, Hipponax 8, Simonides 8, Pindarus 25; — Aeschylus 32, Sophocles 793 (in his ex Aiace 321 locis), Euripides 78.

Doricae comoediae:

Epicharmus 19, Sophron 5.

Antiquae comoediae:

Cratinus 76, Eupolis 58, Pherecrates 47, Plato comicus 36, Theopompus comicus 12, Crates 12, Phrynichus 11, Teleclides 10, Amipsias 6, Strattis 7, Callias, Metagenes, Nicophon 3, Archippus, Cantharus, Magnes, Philyllius 2, Chionides, Aristomenes, Aristagoras, Diocles, Polyzelus, Cephisodorus, Euthycles, Demetrius 1.

Mediae comoediae:

Alexis 17, Antiphanes 9, Eubulus 8, Anaxilas 4, Nicostratus 3, Ararus 2.

Novae comoediae:

Philemon 9, Menander 121. —

Poetae Alexandrini:

Theocritus 10, Lycophron 7, Callimachus 87, Babrius 61.

---

[1]) cf. Bernhardyum in Commentt. de Suidae lexico capite II pg. XLVII.

[2]) Indicem sequor Gaisfordianum.

Oratores et Rhetores:

Antiphon 69, Andocides 8, Lysias 91, Isocrates 52, Isaeus 58, Lycurgus 28, Hyperides 65, Demosthenes 241, Aeschines 37, Dinarchus 49. — Dionysius Halicarnassensis 35.

Historici:

Herodotus 281, Thucydides 208, Xenophon 221, Ephorus 6, Theopompus 17, Philochorus 30, Polybius 651, Diodorus 64, Iosephus 259, Plutarchus 10, Arrianus 97, Pausanias 22, Appianus 85, Dio Cassius 101; Eunapius 94, Procopius 192, Agathias 94, Georgius Pisides 72, Theophylactus Simocatta 101, Ioannes Antiochenus 63.

Philosophi:

Plato 187, Aristoteles 71, Theophrastus 23, Alexander Aphrodisiensis 82, Iamblichus 26, Synesius 77, Damascius 201; Diogenes Laertius 266; Lucianus 6, Philostratus 82, Artemidori Onirocritica 72.

Grammatici:

Herodianus 12, Ioannes Philoponus 75, Theodoretus 157; denique Aelianus 400, Athenaeus 66.

De nonnullis ex eis scriptoribus, quos excerpsit Suidas, dudum a uiris doctis quaesitum est: uelut glossas ex Sophoclis tragoediis scholiisque Sophocleis descriptas collegit Hoepfnerus [1]; uberius et accuratius scholia Sophoclea a Suida seruata tractauit in praefatione ad horum scholiorum editionem [2]) G. Dindorfius, qui *Suidam libro usum esse* demonstrauit, *qui similis fuerit ei, ex quo G* (Florentinus Abbatiae 2725) *originem duxit* [3]; Polybii et Appiani multos locos, quos Suidas lexico suo inseruit, emendauit et illustrauit Schweighaeuserus ad calcem Polybii, cuius parauit editionem, tomi primi et in Emendationum et Obseruationum in Suidam tomo primo; denique de Suidae lexicographi usu ad crisin et interpretationem librorum sacrorum epistulam scripsit Toupius ad Fr. Schleusnerum. Contra Aristophanis fabularum apud Suidam memoriam nemo adhuc continua oratione ita tractauit, ut a Suida

---

[1]) in Annalium qui inscribuntur: „Neues Magazin für Schullehrer" tom. I, II.

[2]) pg. V.

[3]) cf. Bernhardyum in Commentt. de Suidae lexico pg. XLVIII.

quaestio proficisceretur omnisque disceptatio ad Suidam referretur.

Neque tamen me fugit Kusterum[1]), Toupium[2]), Hemsterhusium[3]), Valckenarium[4]) et quotquot Angli, Bataui, Francogalli[5]), Germani Suidae lexico uel edendo uel illustrando operam nauauerunt, eius auctoritatem maxime in Aristophanis fabulis summo opere laudauisse, satisque notum est saepissime eos qui comici illius fabularum uel omnium uel singularum editionem parauerint, ex Suidae lexico deprompsisse, si quid ad emendandos illustrandosue poetae uersus usui ipsis esse uideretur. Attamen horum uirorum doctorum adnotationes sunt adeo dispersae atque disiectae, ut si quis eas ex uariis libris commentariisque collectas atque dispositas publici iuris fecerit, optime is de Suida et de Aristophane meriturus sit; omne autem in hac re is uidebitur tulisse punctum, qui qualis Aristophanes in Suidae lexico nobis obuiam fiat et qualem prae se ferat uultum faciemque, et quid inde in uniuersum comici fabulis utilitatis et emendationis redundare possit, omnibus ex partibus indagarit et peruestigarit. Atque ego cum non ignorem, quantum me uires deficiant et totius antiquitatis accurata cognitio, qua ad tale opus perficiendum carere nequeas, tamen ueniam me impetraturum spero, si auctoritatem lexici Suidani ad fabulas Aristophanis rectius intellegendas, ad emendandum comoediarum contextum, ad scholia denique in eas conscripta illustranda augendaue, quantum possim, in quaestionem uocare audeam.

---

[1]) in praefatione ad Suidae lexicon compluribus locis.

[2]) in praefatione ad Emendationes in Suidam.

[3]) H. Suidam sedulo comparauit et eum usum esse codice scholiorum in Aristophanem pleniore et castigatiore dicit ad Plut. pg. 16 adnot. 23 et pg. 452 adnot. 61.

[4]) in Diatriba Euripidis Hippolyto adiuncta pg. 204 et ad Theocriti Adoniazusas pg. 297 Valck. monuit cum alias partes apud Suidam largiores extare tum uetera in Thesmophoriazusas scholia, quae tum desiderabantur, ex illo colligi posse.

[5]) Maussacus in dissert. crit. pg. 396 in Suida se ait lectitando et uigilando comperisse et didicisse magnam partem scholiorum, quae in tragicos et comicos circumferrentur, contineri.

Aristophanis codices uetustissimi, R(auennas) et *V*(enetus), ad saeculum undecimum et duodecimum pertinere putantur. De Suidae autem aetate certi nihil traditur. Vt omittam ea, quae protulerunt Angelus Politianus[1]), Petrus Alcyonius[2]), Thomas Reinesius[3]), qui nullum unquam fuisse Suidam opinabantur, iure ac merito Fabricius[4]):

Suidam vere extitisse, inquit, *nec nomen eius fictitium esse, non solum evincunt codices manuscripti Lexici huius, in quibus Suidae vel Sudae nomen comparet sed etiam Eustathius, qui Suidam aliquotiens laudat: ad Il. Α'* pg. 834[5]) *(edit. Roman.), ad Od. α'* pg. 1403, *α'* pg. 1406, *β'* pg. 1441, *γ'* pg. 1469, *ε'* pg. 1528, *ζ'* pg. 1554, *η'* pg. 1571, *σ'* pg. 1851.

Vehementer autem olim de aetate huius lexicographi dissensere uiri docti, quorum diuersas sententias recenset Fabricius l. c.; nunc post accuratissimas Reinesii[6]), Pagii[7]), Saxii[8]), Bentlei[9]), Bernhardyi[10]) disquisitiones hac in re collocatas Suidam medio fere saeculo decimo lexicon suum composuisse statuendum erit. Vnde sequitur, ut fons ille ex quo Suidae fragmenta Aristophanea fluxerint uetustior fuerit omnibus quotquot adhuc innotuerunt codicibus Aristophaneis. — Codicum[11]) uero a Kustero Gaisfordio Bernhardyo ad crisin lexici Suidani adhibitorum, quantum ex discrepantiis in ipsis fragmentis Aristophaneis inter eos occurrentibus perspicere

---

[1]) lib. XI epist. XX.

[2]) lib. II de exilio pg. 213.

[3]) lib. III Variarum lectt. pg. 361.

[4]) Bibl. Graec. uol. VI pg. 391.

[5]) Ex hoc loco: *τὸ δὲ (ἴννος) ἐν τῷ κατὰ στοιχεῖον μεγάλῳ βιβλίῳ τοῦ Σουΐδα κτλ.* simul apparet Suidae lexicon Eustathii temporibus satis amplum fuisse librum.

[6]) Obseruatt. in Suidam pg. XII.

[7]) Critic. Baron. ad an. 975 n. XIX.

[8]) Onomast. litter. uol. II pg. 154.

[9]) ad Phalarid. pg. 159.

[10]) Commentt. de Suidae lexico cap. I 2.

[11]) Vetustissimum lexici Suidani fragmentum adseruatur Londini, liber Suda qui appellatur, latine exaratus et septuaginta unum locos historicos et sacros complexus; is pictus est iussu Roberti episcopi Lincolnensis saeculo XIII. cf. V. Rose in Hermae V 115 sq.

licet, duae discernendae sunt familiae: una Parisini (2625, 2626) A optimae notae, qui saeculum XIII[um] attingit, V(ossiani Leidensis), quem Bernhardyus primarium Suidae librum existimat, Oxoniensis C saeculi XV[i]. Hi tres libri etsi uariis de causis multifariam inter se discrepant, opponendi sunt codicibus B i. e. Parisino 2622 saeculi XIV[i] et E i. e. Bruxellensi a. 1475 exarato, quem ex B descriptum esse demonstrant uitia frequentissima his duobus communia[1]) scripturaeque eae, quae in E aliquanto magis uitiatae comparent quam in B[2]). Atque ex priore codicum genere A plerumque genuinam Suidae scripturam repraesentat, cum V et in primis C haud raro correctoris manum perpessi sint modo ex ipsis codicibus quibusdam Aristophaneis modo ex sua coniectura Suidae scripturam immutantis uel emendantis.

§ 2.

Quodsi quaerimus, unde fragmenta illa Aristophanea per totum lexicon dispersa et singulis glossis subiuncta manauerint, grauissimum nobis obuiam fit Suidae ipsius testimonium s. gl. *Ἀριστοφάνης* hoc: . . . *Δράματα δὲ αὐτοῦ μδ', ἅπερ δὲ πεπράχαμεν Ἀριστοφάνους δράματα ταῦτα· Ἀχαρνεῖς, Βάτραχοι, Εἰρήνη, Ἐκκλησιάζουσαι, Θεσμοφοριάζουσαι, Ἱππεῖς, Λυσιστράτη, Νεφέλαι, Ὄρνιθες, Πλοῦτος, Σφῆκες.* Nempe cur haec uerba a Suida aliunde sumpta et pro proprio iudicio uendita esse existimemus, omnino nulla potest causa inueniri; immo uoce

[1]) Veluti Eq. 281 *δραμὼν* BE, *ἐσδραμὼν* AVC ‖ 635 *βερέσχελοι* BE, *βερέσχεθοι* AVC ‖ schol. ad 662 (Eccles. 56) *ἔβη τότε* BE, *ἔβηττε* A recte, *ἔβιττε* VC ‖ 721 *τί γε* BE, *τουτίγε* AVC ‖ 1189 *ἐνετριτάνισε* BE, *ἐνετριτώνισε* AVC.

Thesmoph. 138 *κεκρυβάλῳ* BE, *κεκρυφάλῳ* AVC ‖ 573 *σιγᾶ δ'* BE, *σιγᾶθ'* AVC ‖ 863 *πρὸς τῆς* BE, *πρὶν τῆς* AVC ‖ 1059 *αὐτῶ δὸς* BE, *ἀντῳδὸς* AVC ‖ 1066 *διαφέρουσ'* BE, *διφρεύουσ'* AVC.

Lysistr. 687 *ὠργισμένως* BE, *ὠργισμένων* AVC ‖ 811 *ἀπορράξ* BE, *ἀπορρώξ* AVC ‖ 1151 *κατωνάκτας* BE, *κατωνάκας* AVC.

[2]) Veluti Eq. 757 *λόγους* AVC, *λόχους* B, *λόφους* E.

Lysistr. 45 *κιμβέριχ'* AVC, *κιμμέριχ'* B, *καὶ μέριχ'* E ‖ 171 *πείσειε* AVC, *πείσει* B, *πείσοι* E.

πεπράχαμεν docemur Suidam ipsum has XI Aristophanis fabulas lectitasse ipsumque excerpsisse. De uocum enim *πράττειν πραττόμενος πρᾶξις* apud Byzantinos usu Meinekius[1]): *Tzetzes,* inquit, *Proleg. ad Lycophr. pg. 256: κωμῳδοὶ πραττόμενοι Κρατῖνος, Εὔπολις, Φερεκράτης, Ἀριστοφάνης καὶ ἕτεροι; Suidas s. v. Ἀριστοφάνης· δράματα δὲ αὐτοῦ κτλ. Quibus locis quid πράττεσθαι significet cum me ignorare dixissem*[2]), *opportune I. Geelius*[3]) *uir clarissimus in Bibl. crit. IV pg. 20 et Lobeckius Aglaoph. pg. 567 πρᾶξιν de librorum lectione et interpretatione dici monuerunt. Itaque Cratinus ὁ πραττόμενος est cuius fabulae leguntur et explicantur*[4]). Ergo infeliciter Kusterus *πεπράχαμεν* in *εὑρήκαμεν* mutari uoluit. Immo dilucide hinc apparet Suidam in condendo lexico suo usum esse libro manuscripto non pluribus quam quae nobis innotuerunt integrae Aristophanis fabulis instructo. Nam quae sparsim apud Suidam adnotatae sunt uariae lectiones, ueluti ad Eq. 4 *γράφεται δὲ καὶ εἰσέφρησε,* ubi in uersu ipso *εἰσήρρησε* extat, et ad Eq. 877 *οἱ δὲ Γρύπον λέγουσι διὰ τοῦ π,* ubi in uersu ipso legitur *Γρύττον,* eas sine dubio iam in codice suo Aristophaneo notatas repperit[5]), nec licet inde concludi Suidam ipsum eas uarias scripturas ex alio alius familiae codice adnotasse.

Accedit aliud, unde Suidam ipsum perlegisse ipsumque

---

[1]) Fragm. Com. Graec. I pg. 560 ad Scholiastae Dionysii Thracis (cf. Bekker. Anecdd. pg. 747) uerba: *ἐπίσημος δὲ Κρατῖνος ὁ καὶ πραττόμενος.*

[2]) Quaestt. Scaen. spec. II pg. 2.

[3]) *Ibi quod haeret* (Meinekius) *in uerbo πράττειν ... hanc habeat e margine desumptam notulam Hemsterhusii: verte: quae autem tractauimus Aristophanis dramata haec sunt. Mihi praeterea uidetur scholiorum conscriptio et interpretatio in grammaticorum ludis significari.*

[4]) cf. Schweighaeuserum in Indice ad Epictetum, Fabricium ad Marin. Vit. Procli c. 22 (pg. 114), Cobetum obss. in Plat. com. rel. p. 56, Bernhardyum Hist. Litt. Graec. I[4] § 88, 2: *Die gelesenen und besonders die classischen Autoren hiessen damals (VI. VII. VIII. Jahrh.) οἱ πραττόμενοι, die Lectüre πρᾶξις, commentirt und fleissig studiert werden ist πράττεσθαι.*

[5]) ad Eq. 4 in *VΘ* similiter adnotatum est *ἐν ἐνίοις δὲ ἀντιγράφοις εἰσέφρησε γράφεται.*

excerpsisse fabulas Aristophanis appareat. Etenim s. gl. *Ἐποποῖ* Suidas epiphonemata ab Aristophane formata adhibitaque ita congessit, ut ab Auium fabula, in qua maximam uim pulcherrimarum exclamationum reperias, proficisceretur. Hic autem est ordo epiphonematum:

ἐποποῖ Av. 58, *ἐποποῖ ποί ποποί ποποί* ib. 227, *τιό τιό τιό τιό τιό τιό τιό τιό* ib. 237, *τριοτό τριοτό τοτοβρίξ* ib. 243, *δεῦρο δεῦρο δεῦρο δεῦρο τορό τορό τοροτίξ κικκαβαῦ κικκαβαῦ τοροτοροτολιλίγξ τοροτίγξ* ib. 259—62, *τί τί τί τί τί τί τιό τιό τιοτίγξ . τιό τιό τιό τιοτίγξ* ib. 738, *ποῦ ποῦ 'στι; ποῦ; ποῦ ποῦ 'στι; ποῦ; ποῦ ποῦ 'στι; ποῦ;* ib. 1122, *ποῖ ποῖ ποῖ* ib. 1199, *εὐράξ πατάξ* ib. 1258, *ὠόπ* ib. 1394, *βαβαιάξ* Ach. 64, *στριβιλικίγξ* ib. 1035, *ἀτταταῖ ἀτταταῖ* ib. 1190, *ἰατταταιὰξ . . . ἰατταταῖ* Eq. 1, [*ῥυππαπαῖ* Ran. 1074], *ἱππαπαῖ* Eq. 602, *βαβαί βαβαιάξ* Pac. 248, *οἴμοι* ib. 280, *ὢ εἶα* ib. 461, *φῦ φῦ* Lys. 294, *σοῦ σοῦ* Vesp. 209, *ἀππαπαῖ παπαιάξ* ib. 235, *αὖν αὖν* ib. 903, *βομβάξ* Thesm. 45, *βομβαλοβάξ* ib. 48, *ἀτταταταταταῖ* ib. 223, *μῦ μῦ* ib. 231, *ἰαππαπαιάξ* ib. 945, *ἰαῖ εὐαῖ, εὐοῖ εὐαῖ, εὐαῖ εὐαῖ εὐά εὐά* Eccl. 1179—1182. Vides quam seuere Suidas in enotandis his epiphonematis uersuum ordinem seruarit, idemque comparet ubicunque Suidas complures eiusdem fabulae uersus sub eadem glossa coniunxit, ueluti s. gl. *Γλίσχρον* citantur hoc ordine Pac. 192 et 485, item s. gl. *Γνώμη* Nub. 170 et 431, s. gl. *Κόψιχος* Av. 807 et 1081, s. gl. *Κυκλίων* Nub. 332 et 966 alia, ut nulla possit remanere dubitatio quin Suidas XI illas fabulas ipse perlegerit et quae sibi notabilia obuiam fierent in schedas suas transsumpserit.

§ 3.

Iam qualis fuerit is, quo Suidas usus est, codex undecim fabularum Aristophanearum, quaesiturus priore loco de ipsis uerbis uel uersibus Aristophanis, posteriore de scholiis in singulas fabulas conscriptis uerba faciam et quid quoque loco Suidae auctoritati tribuendum sit exponam. Scholia enim singulis fabulis adscripta cum fabularum contextu omnino non

ita cohaerent aut coaluerunt, ut lemma aut explicatio ubique cum contextu congruat[1]).

Ex undecim autem, quae integrae adhuc extant, fabulis ut tres tractandas eligerem, Equites, Thesmophoriazusas, Lysistratam, hoc me commouit, quod harum tantum comoediarum in manibus nostris est accurata cum codicibus collatio. Adolphus de Velsen enim anno h. s. LXVIIII undecim fabularum Aristophanis nouae recensionis tanquam promulsidem Equitum fabulam publici iuris fecit, tum a. 1871 in libello qui inscribitur: „Ueber den Codex Urbinas der Lysistrata und der Thesmophoriazusen des Aristophanes" Vrbinatem illum librum ex quo editio princeps harum fabularum, Iuntina prima anni 1516, exscripta est et cuius posthac fata crassis tenebris obruta latebant, nullum esse alium quam Rauennatem certissimis euicit argumentis[2]); quam ad sententiam comprobandam Rauennatis et Iuntinae scripturas ab Engero, qui postremus has duas fabulas recensuit, ut diuersas prolatas maximam partem congruere omnibus quae huc pertinebant exemplis demonstrauit, quibus locis uerae discrepantiae inter R^em et Iuntinam extarent enotauit, unde ortae essent aperuit. Denique a. 1878 idem A. de Velsen Thesmophoriazusas apparatu critico instructam edidit.

---

1) Velut

Eq. v.	230	ἐξῃκασμένος	codd.	ἐξεικασμένος	scholia
	278	ἐγὼ δείκνυμι	„	ἐγὼ 'νδείκνυμι	„
	975	ἀφικνουμένοισι	„	ἀφικνουμένοις	„
Thesmoph. v.	39	λεώς	„	λαός	„
	179	κοινῇ	„	καινῇ	„
	273	ὑποκράτους	„	ἱπποκράτους	„
	356	λεγούσαις	„	λεγούσας	„
	834	τηνίοισι	„	στηνίοισι	„
	910	ἀφύων	„	ἰφύων	„
	947	πέσωμεν	„	παίσωμεν	„
Lys. v.	63	θεαγένους	„	θεογένους	„
	282	ἀσπίδων	„	ἀσπίδας	„

cf. Dindorf. praef. uol. III, 1 pg. VIII—IX, et O. Langii Variae lectiones in scholiis Aristophaneis latentes (Gryph. 1872), qui hanc rem non penitus exhausisse uidetur.

2) cf. W. G. Clarkius, Journal of Philology uol. III nr. V pg. 159 sqq.

Vespas uero, cuius fabulae nouissimam editionem parauit R. B. Hirschig adiuncta noua Veneti collatione Cobetiana, ne huic quaestioni subicerem, monuerunt me Velseni[1]) uerba: „*Jetzt finden sich bei Hirschig die handschriftlichen angaben zu R secundum Invernizium und secundum Bekkerum, und zu V secundum Bekkerum und secundum Cobetum. Wenn dazu noch ein oder gar zwei secundum kämen, so würden diejenigen, welche sich mit der kritik des Aristophanes befassen, erst recht nicht wissen, was in den handschriften — — denn eigentlich für lesarten enthalten sind.*“ — Eae autem collationes, quibus uel minimae codicum discrepantiae contineantur, quam necessariae quantoque usui sint ad tales quaestiones cum aliquo fructu instituendas, ipse perspexi, postquam quae Albertus de Bamberg de Rauennate et Veneto Aristophanis codicibus Lipsiae 1865 docte ac sollerter scripsit, perlegi; etenim tot in hoc libello occurrunt falsae, si cum Velseni collatione comparaueris, lectiones, quas ad comprobandam suam de illorum codicum pretio et de origine Veneti sententiam artificiose excogitatam protulit, ut imbrem in cribrum legere mihi uiderer, si plures quam has tres fabulas huic disquisitioni subicerem.

LIBER PRIOR.

CAPVT PRIMVM.

§ 4.

Atque ut ab Equitibus ordiar, citatur haec fabula omnium saepissime, locis 469, uersusque ex ea deprompti apud Suidam leguntur 507, ut plus tertia parte fabulae ab eo adseruatum sit. Qua in tractanda libellum adhibui academicum Rudolphi Schneei: de Aristophanis codicibus capita duo (Halis 1876), cuius capite priore in Equitibus, capite posteriore

[1]) Philolog. XXIV pg. 129.

in Nubibus qualis fuerit codicum adhuc extantium origo auctoritasque cum docte ac sollerter disquisitum atque perpensum sit, non alienum erit quid in priore fabula de codicibus eruerit uir ille doctus hoc loco breuiter afferre:

1. *V*(enetum) neque ex R(auennate) neque ex eius archetypo deriuatum esse neque omnino cum R[e] cognatum esse.
2. Codices *Α* (Parisin. Reg. 2712 saec[i] XIII[i]),
   Γ (Florent. plut. 31, cod. 15 saec[i] XIV[i]),
   Θ (Laurent., abbatiae olim Florentinae 2779, 140 saec[i] XIV[i]),
   Δ (Laurent. plut. 31, cod. 16 saec[i] XV[i] uel XVI[i])
   ex uno eodemque fonte fluxisse.
3. Codices *ΑΓΘΔ* a Veneti archetypo uel a codice aliquo ex hoc descripto prodiisse.
4. Codicem *P* (Vaticano-Palatinum 128 saec[i] XV[i]) originem ex libro aliquo duxisse, qui *V*[i] archetypo fuerit consimilis.
5. Codicem *M* (Ambrosianum L. 39 sup.) contaminatum esse ex R[e] et archetypo codicum *ΑΓΘΔ*.
6. Tota hac quaestione id efficere uult Schnee, ut statuatur *indignum esse R[em] praepotenti ista dignitate, quae ei adhuc a uiris doctis addici soleat;* immo codices *ΑΓΘΔ—P*, quos deteriores appellare adhuc soliti sint uiri docti, una cum *V*[o] ad constituendum comici textum esse adhibendos.

Atque quae quattuor prioribus locis proposuit Schnee, quamquam certa non sunt, aliqua probabilitatis specie commendari uidentur; at quae de codicis *M*[i] recensione protulit, ea scrupulum mihi iniciunt et infra paulo accuratius examinanda erunt. —

Iam quoniam Aristophanis apud Suidam memoriam ex codice aliquo undecim fabularum fluxisse statuimus, huius codicis tanquam uultum et auctoritatem ita adumbrare conabimur, ut uersus Aristophaneos, quales a Suida traduntur, cum eis, quos nunc habemus, libris manuscriptis Aristophanis comparemus; cumque propter ipsius Suidae aetatem ex codicum

adhuc extantium nullo Suidae Aristophanea fluxisse queant, id potius in quaestionem uocetur oportet, cui codici uel cui codicum generi Suidas consimilis reperiatur. Sed antequam hoc aggrediamur, afferendi sunt ei loci ex Equitum fabula, quorum corruptae lectiones omnibusque nostris codicibus communes ne a Suidae quidem codice Aristophanis afuerunt. Itaque

v. 89 *κρουνοχυτρολήραιον εἶ* S(uidas)-R-*V-M-ΑΔΘΓ*[1])-*P*, correxit *κρουνοχυτρολῃραιονεῖ* A. Reifferscheid in indice lectionum Vratislauiensium a. 1869/70. pg. 5.

v. 159 *Ἀθηναίων* S cum mss., metro consuluit Bergkius scribendo *Ἀθηνέων*[2]).

v. 196 *ἠνιγμένος* recte uidetur Meinekius[3]) in *ἠνιγμένα* emendasse.

v. 262 *διαβαλὼν* correxit Casaubonus in *διαλαβών,*

v. 270 *ἐκκοβαλικεύεται* Toupius in *κἀκκοβαλικεύεται.*

v. 276 pro *τήνελλος εἶ,* quamquam legitur hic uersus apud Suidam s. gl. *Τήνελλα,* Kockius *τήνελλά σοι* restituit.

v. 290 *ἀλαζονείας* correxit Elmsleius[4]) in *ἀλαζονείαις,* quod probatum est editoribus.

v. 326 *ἀμέλγεις* (*ἀμέλγει* R) correxit Bothius in *ἀμέργεις.*

v. 360 pro *ἐκροφήσεις* Elmsleius medialem formam *ἐκροφήσει* Aristophani restituit.

v. 418 ut in omnibus nostris codicibus sic apud Suidam legitur *λέγων* deficiente thesi pedis quinti tetrametri iambici catalectici, quam librarius codicis C (Suidae) et sec. man. *Δ* ita reparare studuerunt, ut ponerent *ἐπιλέγων,* quod miror Dindorfio probatum esse; *ἂν* addidit Bernhardyus, recepit Velsenus; uidetur tamen *λέγων* glossema esse pro inusitatiore quadam dicendi notione[5]).

v. 628 *ἐρείδων,* quod praecedenti *ἤρειδε* debetur, Brunckius in *ἐρείπων* correxit[6]).

---

[1]) *κρουνοχυτρολήραιος εἶ* sec. *Θ*, sec. *Γ*.

[2]) *Ἀθηνῶν* Dawesius Miscell. pg. 245.

[3]) Vindd. Aristoph. pg. 53.

[4]) ad Soph. O. C. pg. 287.

[5]) an *λογοποιῶν* scribendum est?

[6]) *ἐρίζων* Kusterus, *ἐρεύγων* Thierschius, *ἐρείκων* Bergkius.

v. 635 Μόθωνες emendauit Kusterus in *Μόθων*.

v. 981 pro *γένοιθ'*, quod numeris obuersatur, reposuit Scaligerus *'γένεθ'*.

v. 1206 *ὑπεραναιδεσθήσομαι* nescio an iure Elmsleius[1]) in *ὑπεραναιδευθήσομαι* mutauerit.

v. 1311 pro *δοκῶ* Bentleius recte *δοκεῖ* posuit.

v. 1401 pro *λοῦτρον* (*λουτρὸν V*) *λούτριον* numeris accommodatum restituit Elmsleius.

His uitiis Suidae cum uniuersis codicibus Aristophaneis communibus apparet non omnino diuersum fuisse Suidae codicem Aristophanis ab eis quibus nunc uti licet, immo ad unum eundemque archetypum omnes esse reuocandos.

§ 5.

Quoniam autem R et propriis uitiis et bonae notae lectionibus a ceteris codicibus uehementer discrepat, ceteri uero libri manuscripti ita inter se cohaerent, ut ad eundem fontem referendi sint, primum uideamus quae intercedat ratio inter Suidam et codices *V-P-ΑΓΘΔ*; quorum tres sunt discernendae familiae:

Codices *ΑΓΘΔ*, inter quos Parisinus *A* tamquam uno gradu uetustior est reliquis, ex eodem archetypo manasse intelleges, si obiter scripturas falsas et correctiones his quattuor communes adspexeris. Sed neque cum *A* neque cum tota hac familia Suidae codicem necessitudine quadam coniunctum fuisse inde apparet, quod et *A* codicis propria uitia[2]) et totius familiae menda[3]) apud Suidam desunt; seruauit tamen Suidas una cum his codicibus rectam illam scripturam in v. 289 *τὸ*

---

[1]) ad Eurip. Heracl. 387.

[2]) 152 *τὸν λεὼν A*, *τοὐλεὸν* S ‖ 400 *μὴ* om. *A*, habet S ‖ 635 *βερέσχεθοί τε* om. *A*, habet S ‖ 793 *γυπρίοις A*, *γυπαρίοις* S ‖ 807 *παρακόπτου A*, *παρεκόπτου* S894 *καλὸν A*, *καυλὸν* S ‖ 924 *ἰπιούμενος A*, *ἰπούμενος* S ‖ 1121 *γνώμαις A*, *κόμαις* S.

[3]) 611 *γεν(ν)ικώτατε ΑΓΘΔ*, *νεανικώτατε* S ‖ 982/83 uerborum ordo perturbatus est in *ΑΓΘΔ*, rectum ordinem exhibet S ‖ 989 *μόνον ΑΓΘΔ*, *πόνην* S ‖ 1053 *καρκίνους ΑΓΘΔ*, *κορακίνους* S.

νῶτον, ubi *τον νότον* R, *τὸν νῶτον VP*, *τὸ νῶτον* post *τὸ* rasura una littera deleta *M* exhibent.

Neque maior consensus deprehenditur inter Suidam et codicem *P*, cuius quae propriae sunt falsae ac peruersae lectiones omnino non reperiuntur apud Suidam[1]).

Iam uideamus num consensus inter Suidam et Venetum codicem deprehendi possit. Atque ut omittam minutias orthographicas, quibus in eo libro saepissime peccatum est, grauiora quae V^1 propria sunt uitia frustra apud Suidam quaeras, uelut:

248 *φάλαγγα V*, *φάρυγγα* (*φάραγξ* in explicatione addita) S ‖ 821 *μὴ* omissit *V*, habet S ‖ 1187 *κἀκπιεῖν V*, *καὶ πιεῖν* S ‖ 1363 *κρεμάσας V*, *ἐκκρεμάσας* S.

Adde quod in v. 1369 pro V^1 scriptura *ὁπλίτης*, quam auctore Thierschio[2]) Dindorfius Meinekius Velsenus receperunt, Suidas cum reliquis codicibus *ὁ πολίτης* exhibet; uidetur igitur scripturam *ὁπλίτης*, si modo probabilis est, unus *V* fideliter seruasse.

His quibus Suidas a V^0 discrepat unum locum licet opponere quo ueram scripturam una cum eodem retinuit: in v. 56 enim uterque pro *περιδραμὼν*, quod reliqui codices leui errore exhibent, recte *παραδραμὼν* seruauit. — His igitur comparatis Suidam ne cum Veneto quidem artiore uinculo coniunctum esse statuendum erit.

Denique ut manifestum fiat a toto illo genere codicum *V-P-ΑΓΘΔ* Suidae codicem esse separandum, et menda a

---

1) ueluti 369 *θρανεύεται P θρανεύσεται* S ‖ 399 *παραστηκότος P παρεστηκότος* S ‖ 518 *ἐπαιτίους P ἐπετείους* S ‖ 523 *ψανίζων P ψηνίζων* S ‖ 528 *προθελυμίνους P προθελύμνους* S ‖ 571 *δέ ποτε P δέ που* S ‖ 682 *κοριάνναν P κοριάννοις* S ‖ 693 *μορμῶν P μορμὼ* S ‖ 794 *βλίττοις P βλίττεις* S ‖ 864 *θηρευόμενοι P θηρώμενοι* S ‖ 895 *γὰρ ἄξιον P τὸν ἄξιον* S ‖ 1032 *χάσκοις P χάσκῃς* S.

2) in Actt. Acad. Bauar. ann. 1835 I pg. 700.

codicibus *P-ΑΓΘΔ* admissa[1]) et uitia uniuerso huic generi *V-P-ΑΓΘΔ* communia[2]) a Suidae codice omnino afuisse moneo.

Duos tantum locos his opponere licet: Legimus enim in v. 924 apud Suidam *ἰπούμενος ταῖς συμφοραῖς,* cui simillimum in *Δ* legitur *ἰπιούμενος*[3]) *ταῖς συμφοραῖς,* cum ceteri codices Aristophanis *ἰπούμενος ταῖς εἰσφοραῖς* exhibeant; at uerba *ἰπούμενος ταῖς συμφοραῖς* comparent etiam apud Etym. Mg. 473, 31: *καὶ Ἀριστοφάνης· ἰπούμενος ταῖς συμφοραῖς* et apud Zonaram s. v. *Ἰπούμενος* (I, 1118); apud Pollucem denique (VII, 41) haec leguntur:

δώσεις ἐμοὶ καλὴν δίκην,
ἰπούμενος ταῖς συμφοραῖς.

Ἀριστοφάνης πού φησι, καὶ Κρατῖνος ἰποῦμεν ἐν Κλεοβουλίνῃ[4]). Itaque hic non tam consensum Suidae cum codice *Δ* agnoscemus, sed uulgatam quandam scripturam et oriundam ex Cratini uersu, quem hoc loco expilasse Aristophanem uel imitatum esse non temere statuerunt Casaubonus Brunckius Meierus[5]). Vtroque autem loco, et in *Δ* et in eo quo utebatur Suidas codice, *συμφοραῖς* glossema margini adscriptum in comici contextum irrepsisse uidetur[6]).

Altero loco, v. 983, quod apud Suidam *δύο* falso una cum codicibus *ΑΓΘΔ* legitur pro *δύω,* huic mendo quippe ex eadem librariorum incuria profecto uix quicquam momenti tribuendum uidetur.

§ 6.

Transeamus ad codicem R(auennatem), qui alterius codicum Aristophaneorum generis exemplum est unicum.

---

1) 530 *ἤνθησ' ἐκεῖνος ΑΓΘΔ ἤνθησε κεῖνος P ἤνθησεν ἐκεῖνος* S ‖ 538 *μικρᾶς ΑΓΘΔ-P σμικρᾶς* S ‖ 884 *οὐδέποτ' ΑΓΘΔ-P οὐπώποτ'* S.

2) 61 *εἶθ' ὁ γέρων V-P-ΑΓΘΔ ὁ δὲ γέρων* S ‖ 517 *ὀλίγοις ἤδη χαρίσασθαι V-P-ΑΓΘΔ ἤδη* omis. S ‖ 856 *καθαρπάσαντες V-P-ΑΓΘΔ κατασπάσαντες* S ‖ 1256 *γένωμαί σοι V-P-ΑΓΘΔ ἔσομαι σοι* S.

3) cf. supra pg. 16 adnot. 2.

4) sic h. l. restituit secundum codicem Falk. Meinekius in Fragm. Com Graec. II. 71.

5) ind. lect. aest. Hal. 1832 pg. 4.

6) in codie *Γ*, qui saepius aliunde correctus est (cf. pg. 21), *εἰσφοραῖς* super *εἰς* addito *συμ.*

Cum hoc libro omnium rarissime Suidae scripturae consentiunt: ueras probabilesque R^{is} scripturas apud Suidam quoque reperies, corruptelas uero R^{is} nusquam deprehendes[1]).

Bonas igitur probabilesque quas praebet R scripturas Suidas exhibet has:

61 *ὁ δὲ γέρων*[2]) || 357 *ἐπιπιὼν* || 408 *ἰηπαιωνίσαι* || 761 *προσικέσθαι σου πρότερον* || 846 *ἢ τῶν ἀσπίδων* || 856 *κατασπάσαντες*[2]).

Contra propria Rauennatis uitia Suidas omnia uitauit, ueluti

32 *ἥγει σύ* R, *ἡγῇ γὰρ* S || v. 143 in R^{e} a secunda manu[3]) margini adscriptus est, legitur apud S^{am} || 270 *ἡμᾶς* omis. R, non item S || 276 *τῇ βοῇ* omis. R, non item S || 289 *σε τὸν νότον* R, *σου τὸ νῶτον* S || 301 *ἀδεκατεύτων* R, *ἀδεκατεύτους* S || v. 414 omissus est in R^{e}, non item apud S^{am} || 517[4]) *ὀλίγοις πάνυ χαρίσασθαι* R, *πάνυ* omis. S || 532 *οὐκ ἐόντος* R, *οὐκ ἔτ' ἐνόντος* S || 630 *ψευδἀτράφαξυς* R, *ψευδατραφάξυος* S || 1265 *ἄΐδειν* R, *ἀείδειν* S || 1276 *ὦν* R, *ὅν* S || 1311 *καθεῖσθαί μοι* R, *καθῆσθαί μοι* S || 1368 *ὑπολίποις* R, *ὑπολίσποις* S.

Vno autem loco Suidas fere eandem atque R uitiosam scripturam uidetur amplexus esse:

In v. 272 *ἣν δ' ἐκκλίνῃ* R falso pro *ἢν δ' ὑπεκκλίνῃ*, *εἰ δ' ἐκκλίνοι* V, *εἰ δ' ἐκκλίνει* BCE, *εἰ δ' ἐκκλίνοι* A (Suidae codices);

uterque igitur *ὑπ-* uoculam praetermisit; at uix hic notabilem Suidae, qui aliud insuper mendum hoc loco exhibet, cum R^{e} consensum agnosces; immo illum suo Marte hoc uitium admisisse uerisimilius est.

---

[1]) Non alienum est hic praemonere scholia ad vv. 216—1408, quae absunt a codice R^{e}, in eo, quo utebatur Suidas, codice oportere èxtiterint, quoniam saepissime ab eo afferuntur.

[2]) eandem Ambrosianus, quod fugit Schneeium.

[3]) i. e. priore duarum manuum correctricium, ut comiter me docuit Velsenus.

[4]) de huius uersus uariis scripturis infra, ubi de Ambrosiano quaerendum est, paulo fusius agetur, quia praeter ceteros aptus est ad codicum familias secernendas.

Nam quod Suidas s. gl. *Τρίπαλαι* vv. 1153—56 profert:

Τρίπαλαι κάθημαι, βουλόμενός σ' εὐεργετεῖν.
ἐγὼ δὲ δεκάπαλαι
ἢ χιλιόπαλαι καὶ πρόπαλαι πάλαι πάλαι[1]),
ἐγὼ δὲ τρισμυριόπαλαι καὶ πρόπαλαι πάλαι πάλαι,

hinc non concludendum est γε particulam ut R[i] sic Suidae codici Aristophaneo defuisse; aberrauit enim Suidas a uoce *δεκάπαλαι* in uersum sequentem et sponte insuper mutauit v. 1156 omissis *προσδοκῶν* et γε uocibus.

Cum autem ex R[is] uitiis multa uix librarii incuria orta esse possint, nec cum Rauennate ipso nec cum Rauennatis archetypo ulla affinitate Suidae codex coniunctus est.

§ 7.

Denique de codice Ambrosiano (*M*) pauca disserenda sunt. De quo cum Velsenus[2]) haec adnotasset: *atque is liber diligentissime pictus grauissimi in constituendis poetae uerbis est momenti, utpote qui genuinam Aristophanis manum saepe seruauerit solus cum Rauennate, interdum quamuis raro solus,* Schneeius[3]) *et mihi quoque,* inquit, *olim non esse uana huius manuscripti gloria uidebatur ita ut etiam antiquissimam ei originem uindicare non dubitarem. Profectus enim eram a v. 673, ubi M scripturam praebet* ἑρρέτω (γρ. ἑρπέτω). *Cum igitur ἑρρέτω, quod iam scholiasta in aliquot exemplaribus legi testatur, apud Suidam nostrum uersum laudantem reperiatur, cumque insuper nonnullis locis cum Suida M codex concordet, in mentem mihi uenit coniectura Ambrosianum fortasse ex illo libro haustum esse, quo ipse Suidas usus esset. Accuratius tamen Ambrosiani examinati et cum ceteris libris comparati prorsus inanem et caducam auctoritatem fidemque esse perspexi. Potestne igitur re uera aliquid ex singulari ista lectione ἑρρέτω effici? Immo solo casu orta est. Scriptum enim erat, quod nunc liber Γ praebet, in archetypo* ἑρπέτω (γρ. καὶ ἑρρέτω),

---

1) ἢ καὶ BECM, ἔκπαλαι post πρόπαλαι additum est in BECM.
2) praefat. ad Eq. pg. VIII.
3) pg. 9.

unde utroque uocabulo transmutato Ambrosiani discrepantia prodiit. Tum Schneeius prolatis multis locis, quibus *M* aut cum R^e aut cum altero codicum genere et maxime cum *ΑΓΘΔ* consentiat, eo peruenit sententiae, ut ad perficiendum Ambrosianum non unum sed duos codices usurpatos esse statuat, quorum alter R, alter archetypus codicum *ΑΓΘΔ* fuerit.

γϱ. ἑϱπέτω

Atque ut primum quae de scriptura *ἐϱϱέτω* Ambrosiani protulit uir ille doctus refellam, quid ueri est dissimilius, quam

γϱ. καὶ ἐϱϱέτω

codicem *Γ* archetypi scripturam *ἑϱπέτω* retinuisse, cum hunc codicem a recentiore uiro et sciolo illo quidem tractatum esse doceat magna illa correctionum copia qua is codex aspersus est? Accedit quod ea ipsa uerba in codice *Γ* suprascripta *γϱ. καὶ ἐϱϱέτω*, cum teste Velseno a secunda manu picta sint, genuinam archetypi scripturam omnino non repraesentare possunt. Immo non desunt exempla quibus appareat ex ipso codice Ambrosiano nonnunquam codicem *Γ* correctum uel inquinatum esse, ueluti in

v. 762 *παϱάβαλε M* solus,

γϱ. παϱάβαλλε (sic)

παϱαβάλου Γ (secunda manus correxit *παϱαβάλου* ex *παϱαβαλοῦ* et superscripsit *παϱάβαλλε*).

η

v. 435 *καταπϱοίξει M,* item super *ει* scripto a secunda *η Γ*.

θαϱ

v. 856 *κατασπάσαντες M,*

καθαϱπάσαντες corr. secunda ex *κατασπάσαντες Γ*.

κι

v. 877 *βινουμένους M,*

β

κινουμένους, β littera a secunda *Γ*.

γϱ. οὗτος

v. 1277 *αὐτὸς M,*

γϱ. αὐτὸς

οὗτος (*γϱ. αὐτὸς* a secunda) *Γ*.

Eodem nescio an pertineat etiam

v. 289 *τὸ νῶτον,* post *τὸ* rasura deleta est una littera, *M,*

τὸ νῶτον, in rasura pinxit *τὸ* secunda *Γ*.

Iam si Ambrosiani scripturas hic cum Rauennate illic cum codicibus *V-P-ΑΓΘΔ* communes examinaueris, conspicuum erit plerumque Ambrosianum ipsas ueras scripturas repraesentare, quas alterum utrum codicum genus seruauerit, uelut in vv. 61 212 272 412 482 507 514 604 727 728 849 896 955 970 1027 1062 1084 1110 1256.

Accedit quod nonnullis locis solus *M* ueram lectionem retinuit; inter quos ex eis uersibus, qui citantur apud Suidam, has scripturas afferam:

v. 535 *χρῆν* || v. 542 *πρῶτα* || et si ex Velseni silentio coniectura fieri potest v. 406 *πῖνε πῖν'* || v. 517 *ὀλίγοις χαρίσασθαι* || v. 782 *ἐγγλωττοτυπεῖν*.

Denique in eis uersibus, qui apud Suidam leguntur, plus uiginti obuiam fiunt scripturae uitiatae, quae inter codices Aristophaneos unius Ambrosiani propriae sunt, et de quibus paulo infra plura dicenda erunt.

Quibus de causis tertium existimo esse statuendum codicum Aristophaneorum genus, cuius quasi specimen unicum adhuc extat Ambrosianus. —

Atque ut demonstrem eidem ipsi codicum generi adtribuendum esse eum undecim comoediarum codicem quem in excerpendis Aristophanis fabulis Suidas adhibuerit, proficiscendum uidetur a uersu 517, quem codices sic exhibent:

πολλῶν γὰρ δὴ πειρασάντων αὐτὴν ὀλίγοις πανυ χαρίσασθαι R

πολλῶν γὰρ δὴ[1] *πειρασάντων αὐτὴν ὀλίγοις*[2] *ἤδη χαρίσασθαι* *V-P-ΑΓΘΔ*

πολλῶν γὰρ δὴ πειρασάντων αὐτὴν ὀλίγοις χαρίσασθαι *M*.

Hic apparent tria illa codicum genera, unum Rauennatis, alterum codicum *V-P-ΑΓΘΔ*, tertium Ambrosiani, qui unice hoc loco ueram numerisque accommodatam tetrametri anapaestici catalectici seruauit scripturam i. e. eandem quam Suidas s. gl. *Χαρίσασθαι* tuetur.

Neque aliter ceteris locis quibus Ambrosianum solum

[1]) *γὰρ ἤδη* *P-ΓΘΔ*.
[2]) *ὀλίγας* *Δ*.

ueram scripturam retinuisse monuimus, Suidas cum hoc codice facit: in vv. 402 535 542 782.

Porro in corruptis quoque locis saepius Suidas cum Ambrosiano consentit: ueluti in v. 359 *λέγων* cum Ambrosiano omisit, in vv. 673 *ἐρρέτω,* 1138 *τύχοι,* 299 *σοφίζῃ,* 606 *πόας* falso cum eodem exhibet. Adde quod haud parua copia earum lectionum, quae Ambrosiano aut cum Rauennate aut cum codicibus *V-P-ΛΓΘΔ* communes sunt, etiam a Suida seruata est, uelut in vv. 61 *ὁ δὲ γέρων* [1]) || 182 *ἰσχύειν* [1]) || 196 *σοφῶς* [1]) || 211 *αἰκάλλει* || 378 *γλῶσσαν* || 849 *αὐτοῖσι τοῖς πόρπαξιν* || 856 *κατασπάσαντες* [1]) || 928 *τάδε* || 1256 *ἔσομαί* [1]) || 1277 *αὐτὸς* ueras probabilesque scripturas Suidas una cum Ambrosiano et Rauennate tuetur; et in vv. 8 *δεῦρο νῦν* || 31 *ποι* || 143 *ἐξολῶν* || 147 *κατὰ θεῖον* [2]) || 365 *ἐξελῶ* recte exhibent *V-P-ΛΓΘΔ,* Ambrosianus, Suidas.

Quo fit, ut praeter ceteros codices plurimis locis [3]), quibus quidem codices inter se discrepant, Ambrosiani scripturam Suidas tueatur. —

At sane multi inueniuntur loci, quibus Suidas ab Ambrosiano discrepat: nam aut a S u i d a in describendo eo, quo utebatur, libro manuscripto peccatum est, aut is, qui A m b r o s i a n u m exarauit, archetypum suum nimia incuria tractauit, aut uterque uario modo a genuina scriptura aberrauit. Atque de propriis Suidae scripturis et quomodo eae ortae sint infra paulo fusius dicendum erit. Reperiuntur tamen paucae apud

---

[1]) Neque enim recte Schneeius (pg. 4) vv. 61 *ὁ δὲ γέρων* || 189 *ἰσχύειν* || 196 *σοφῶς* || 388 *ἔλαττον* || 856 *κατασπάσαντες* || 1256 *ἔσομαί* scripturas unius Rauennatis esse opinatur; immo easdem Ambrosianus quoque tuetur; neque aliter v. 1277 *αὐτὸς* cum Rauennate *M* et *A* tuentur, ubi Suidae auctoritatem uni Rauennati uindicat; praeterea falso a Schneeio v. 1278 citatur, ubi *ὢν* pro *ἦν* Suidam cum Rauennate habere cum iudicet fallitur; etenim in v. 1276 *ὢν* pro *ὂν* R exhibet et v. 1277 edit. Mediol. Suidae *ὢν* pro *ἦν* impressum habet; quae res a uiro docto inter se confusae uidentur.

[2]) *θεὸν* correxit Coloetus, *καταθείων* R.

[3]) ducentis nonaginta tribus, si recte computaui.

Suidam corruptae lectiones, quae in uno alteroue codice Aristophaneo praeter Ambrosianum occurrunt, non quod ex codice aliquo in Suidam translatae sint, sed quia idem ab utroque librario uitium admissum est, uelut

v. 75 *αὐτὸς* falso cum Suida codices *V-P-ΓΘΔ* scriptum habent, cum recte *οὗτος* codices R*MA* seruauerint;

v. 104 *ταῖς* male Suidas et *ΑΘ-P,*
ταῖσι recte R-*V-M,*
ταῖσι ex *ταῖς* correctum *ΓΔ;*

v. 257 *παραβοηθεῖθ'* falso cum Suida codices *V-ΑΓΘΔ-P,* cum recte *παραβοηθεῖσθ'* R*M* exhibeant;

v. 756 *νῦν δεῖ σε πάντα δὴ* ut a Suida sic in codd. *ΘΔ* male pictum est pro

νῦν δή σε πάντα δεῖ codicum *VM*;

similiter autem atque in *ΘΔ* et apud Suidam in codd. R*ΑΓP* peccatum est:

νῦν δῆ σε πάντα δὴ R,
νῦν δή σε πάντα δὴ Α,
νῦν δεῖ σε πάντα δεῖ prim. *Γ*
(*νῦν δή σε πάντα δεῖ* corr. sec. *Γ*),
νῦν δεῖ σε πάντα P.

v. 924 *συμφοραῖς* quomodo in Suidae codicem et in codicem *Δ* irrepserit supra exposui.

His simile esse iudico, quod v. 277 Suidas cum R-*V-P-ΑΓΘ* falso *παρέλθῃς* tradit (*παρέλθῃς* correctum ex *παρέλθεις Δ*); Ambrosianus a uera scriptura *παρέλθῃ σ'* proxime abest, cum nihil praetermiserit nisi iota subscriptum *η* litterae.

Iam afferenda sunt ea, quae librarius Ambrosiani oculorum lapsu suoque Marte peccauit, uelut in vv.:

	M	S recte cum cett. codd.
18	*κομψευριπιδικῶς* [1])	*κομψευριπικῶς*
36	*δρᾶμα*	*πρᾶγμα*
224	*βδύλῃ*	*βδύλει*

[1]) idem peccauit Phauorinus.

368	σου	σε
402	περὶ πάντων	περὶ πάντ᾽
481	παριστορῶ	παραστορῶ
527	τάσεως	στάσεως
693	μορμῶν	μορμὼ
756	σαυτοῦ	σεαυτοῦ
784	ἐπανέρου	ἐπαναίρου
830	θάλαττοκομπεῖς	θαλαττοκοπεῖς
853	τούτοις	τούτους
978	ἀργαλεωτέρων [1])	ἀργαλεωτάτων
983	χρυσίνων	χρησίμω [2])
991	ἐθέλει	ἐθέλειν
1150	καταμυλῶν	καταμηλῶν
1264	καταπαυομένοις	καταπαυομένοισι
1285	κασαυρίοις	κασαυρίοισι [3])
1370	μετεγραφήσεται	μετεγγραφήσεται
1405	ἕδραν	ἕδραν θ᾽

denique v. 501 ὡς ἐφ᾽ ἡμᾶς pro ὡς ἡμᾶς, ubi Ambrosiani uitium inde ortum est, quod glossema ἐπὶ uoculae ὡς superscriptum in contextum inuasit.

Vides quam sint leuia Ambrosiani propria uitia, quibus a Suida discrepet.

His adiungendi sunt aliquot loci, quibus eodem modo quo in Ambrosiano in uno alteroue ex reliquis codicibus erratum est, cum Suidas cum ceteris codicibus faciat, uelut in vv.

295 γρύζεις *M-P-AΔΘ* pro γρύξει(ς),
357 ἐκπιὼν *M-V-P-AΔ*, ἐκπιὼν, κ in rasura sec. m. *Γ*, pro ἐπιπιὼν SR; genuinae lectionis uestigium remansit in *Θ*: ἐπιὼν, supra π picto κ sec. m.,
580 κομῶσιν *M*-R pro κομῶσι,
630 ψευδατραφύξυος *M-AΘ* pro ψευδατραφάξυος,
631 ἀνέσπασε *M-V-P-Δ* pro ἀνέσπασεν,

[1]) ortum ex praecedenti πρεσβυτέρων.
[2]) χρυσίμω, υ puncto notatum, *P*.
[3]) καυσαρίοισι *A*.

783 *φροντίζεις M-ΓΘΔ* pro *φροντίζει,*
814 *ἐποίησε M-V-P-A* pro *ἐποίησεν.* —

Nec desunt loci nonnulli, quibus Suidas solus genuinam scripturam seruarit, Ambrosianus uero una cum reliquis libris manuscriptis leuiter aberrauerit, uelut

v. 254 *ἔφευγεν,* quod metrum flagitat, apud Suidam reperies, cum *M* una cum reliquis codicum familiis falso *ἔφυγεν* exaratum habeat.

Tum v. 278 Suidas cum scholio *VΘ ἐνδείκνυμι καὶ φαίνω· ἐνδεικνύναι δὲ ἔλεγον τὸ καταγγέλλειν τινὰ κακουργοῦντα περὶ τὰ κοινά* uocem *ἐνδείκνυμι* recte retinuit, unde profectus *'νδείκνυμι* Dindorfius pro simplici *δείκνυμι* codicum Aristophani restituit.

v. 292 *ἀσκαρδαμυκτί,* quam formam unice ueram esse docuit Goettlingius [1]), Meinekius Aristophani restituit, eandem Suidas s. gl. *Ἀσκαρδαμυκτί* seruauit, codices *ἀσκαρδαμύκτως MΘΓΔ ἀσκαρδάμυκτος* R-*V-A* sec. *Γ* sec. *Δ P* minus bene exaratum habent.

v. 991 *λαβεῖν* Suidae praeferendum est uoci *μαθεῖν,* quam in omnibus codicibus ex uoce *μαθεῖν* uersus 995 irrepsisse monuit Porsonus; hanc Suidae scripturam poetae restituit Dindorfius [2]).

Eodem nescio an trahenda sint, quae apud Suidam s. gl. ***Κοπρία*** ad uersus 294 295 pertinentia leguntur: *κοπρία ὁ πηλός· καὶ Ἀριστοφάνης· κοπροφορήσω σ', εἴ τι γρύξεις. ἀντὶ τοῦ, εἰ λαλήσεις, κόπρου σου καταφορήσω, τουτέστι, κόπρου πληρώσω.* Differt igitur Suidas ita ab Ambrosiano et reliquis codicibus, ut *γρύξεις* [3]) non uersum 294 sed uersum 295 claudat. Leguntur enim sic in Aristophanis codicibus:

Παφ. διαφορήσω σ', εἴ τι γρύξει(ς).
Ἀλλ. κοπροφορήσω σ', εἰ λαλήσεις.

Solet autem in dialogo inter isiciarium et Paphlagonem habito

[1]) ad Theodos. Grammat. pg. 230 IV.
[2]) praef. pg. X.
[3]) correxit Elmsleius in *γρύξει,* cf. supra.

ille uilioribus et sordidioribus uerbis Cleonis orationem excipere et impudentia superare, cf. vv. 285 286

Παφ. καταβοήσομαι βοῶν σε.
Ἀλλ. κατακεκράξομαί σε κράζων.

Itaque cum *γρύζειν* uox plebeium sapiat sermonem optimeque quadret ad sordidam uocem *κοπροφορήσω,* duce eo codice Aristophanis deperdito, quo Suidas utebatur (consentit cum Suida Phauorinus, qui hunc exscripsit), non inepte suspiceris apud Aristophanem transponenda esse illa uerba *εἴ τι γρύξει(ς)* et *εἰ λαλήσεις.* Sed cum apud Suidam in interpretatione ipsa uerba *εἰ λαλήσεις* adhibeantur, potest locus ille Aristophaneus grauius ita corruptus esse, ut uerba *εἰ λαλήσεις* v. 294 glossemati cuidam debeantur uerbis *εἴ τι γρύξεις* adscripto, quae expulerint ultima uerba eius uersiculi qui a *διαφορήσω σ'* incipit. —

Accedunt perpauci loci, quibus diuerso modo in utroque et Suida et Ambrosiano leuissime peccatum uidemus:

veluti v. 70
ὀκταπλάσιον S-*V-P-ΓΘΔ,*
ὀκταπλάσια R[1])-*Δ* suprascriptis *-ον* litteri ~~ uper *-α,*
ὀκταπλασίονα M.

v. 79 *ὁ δὲ νοῦς ἐν* S-*V-ΑΓΘΔ,*
ὁ δὲ νοῦς δ' ἐν M,
ὁ νοὺς δ' ἐν R,
ὁ νοῦς δ' ἐν P recte;

quod uitium inde ortum est, quod in archetypo eo auito, ad quem omnes codices nostri una cum Suidano reuocandi sunt, *δὲ* duplex pictum erat.

v. 819 *ἀπομάττῃ* S-*ΑΓ,*
ἀπομάττει R-*V-P-ΘΔ* recte,
ἀπομάττεις M.

v. 1163 *ἐγὼ* S-*P,*
ἢ ἐγὼ M-Δ,
ἢ 'γὼ V-ΑΓΘ, ἠγὼ R.

---

[1]) recte.

§ 8.

Restat ut de propriis Suidae uitiis, quae plus centum et uiginti in Equitum fabula occurrunt, disseratur. Quarum tria sunt discernenda genera: primum earum mutationum et omissionum, quas Suidas ipse in excerpendo suo codice Aristophaneo sponte ac consilio admittere non dubitauit, alterum eorum quae Suidas neglegentia aut oculorum errore peccauit, tertium earum corruptelarum, quae incuriae librariorum debentur, qui codices lexici Suidani nostros exarauerunt.

Ac primum quidem cum eius, qui huius lexici fundamenta iecit, id maxime interesset, ut uoces enuntiationesque apud aequales suos inusitatas exemplorum copia ex uariis maximeque Atticis scriptoribus desumpta illustraret, ad talis scriptoris uel compilatoris consuetudinem indolemque perbene quadrat quod nec rationem habuit legum metricarum quas ipse uix nouerat nec seruauit ordinem quo apud scriptorem, quem expilauit, uerba extabant, nec pepercit ipsis uerbis sed temere mutauit, si qua uerborum compositio mentem ipsius transgrediebatur, eiecit si quae uerba ipsi inutilia uidebantur, summa denique et licentia et neglegentia in excerpendis eligendisque poetae uerbis usus est. Pars igitur corruptelarum in Suidae lexico occurrentium Suidae ipsius licentiae crimini uertenda est. Immutasse autem uidetur Suidas ipse comici uerba, cum scriberet in vv. 359 360:

Τὰ μὲν ἄλλα μ' ἤρεσε τῶν πραγμάτων, ἓν δ' οὐ προσίεταί με,
ὅτι ὡς μόνος τὸν ζωμὸν ἐκροφήσεις,

quem locum codices Aristophanis sic tradunt:

Τὰ μὲν ἄλλα μ' ἤρεσας λέγων, ἓν δ' οὐ προσίεταί με,
τῶν πραγμάτων, ὁτιὴ μόνος τὸν ζωμὸν ἐκροφήσεις[1]).

In v. 397 S neglectis numeris uersus cretici scripsit:

Ὁ δὲ πρὸς πᾶν ἀναιδεύεται,

quae recte in codicibus Aristophanis sic leguntur:

Ὡς δὲ πρὸς πᾶν ἀναιδεύεται

---

[1]) corr. Elmsleius *ἐκροφήσει.*

In v. 542 Suidas scripsit inuitis numeris:

ἐρετὴν χρὴ πρῶτα γενέσθαι, πρὶν πηδαλίοις ἐπιχειρεῖν,

pro *ἐρετὴν χρῆναι κτλ.*, nimirum, cum uersum praecedentem omitteret, ut integram efficeret sententiam.

In v. 844 inuertit uerborum ordinem neglectis numeris tetrametri iambici catalectici:

Ἐμοὶ δὲ τοιοῦτον ἔργον ἐστ᾽ εἰργασμένον, ὥστε

qui uersus integer sic cluet:

Ἐμοὶ γάρ ἐστ᾽ εἰργασμένον τοιοῦτον ἔργον, ὥστε.

In vv. 978—980, ubi duos uersus glyconeos excipit uersus pherecrateus, Suidas eam compositionem misere turbauit cum describeret:

οἵων ἀργαλεωτάτων ἤκουσ᾽
ἐν τῷ δείγματι τῶν δικῶν
ἀντιλεγόντων,

qui uersiculi in codicibus Aristophanis recte sic distinguuntur, ut *ἤκουσ᾽* ante *ἀντιλεγόντων* positum sit.

Versuum 259 260 fragmenta haec apud Suidam extant:

διασείων τοὺς ὑπευθύνους, εἰ πέπων ἢ μὴ πέπων.

Primum hic *διασείων* glossema superscriptum irrepsit pro *πιέζων*, quod Suidam in codice suo inuenisse docent ipsius uerba s. gl. *Ἀποσυκάζεις — ἀποσυκάζειν γὰρ τὸ τὰ πέπειρα σῦκα διαλέγειν· διόπερ προσέθηκε πιέζων.* Tum neglectis uerbis *ὅστις αὐτῶν ὠμός ἐστιν* ex *ἢ πέπων ἢ μὴ πέπων* formauit enuntiatum *εἰ πέπων ἢ μὴ πέπων*, quod a participio *σκοπῶν* regi uoluit.

In v. 276 *ἀλλ᾽ ἐὰν νικήσῃς τῇ βοῇ, τήνελλος εἶ* Suidas omissis uerbis *μέντοι γε* uel *μὲν τόνδε*[1]) pro *νικᾷς* Aristophani inculcauit *νικήσῃς*, quod uocabulum ante diaeresin tetrametri trochaici catalectici ferri non potest.

Eodem referendum est, quod v. 4 *ἀφ᾽ οὗ γὰρ εἰσήρρησεν* exhibet pro *ἐξ οὗ γ. εἰ.;* mutauit enim Aristophanis *ἐξ οὗ* in *ἀφ᾽ οὗ* quod communi loquendi usui accommodatius ipsi uidebatur. Aristophanes enim uerbis *ἀφ᾽ οὗ* notionem ‘ ex

---

[1]) sic Porsonus.

eo tempore quo ' non subicit nisi iis locis quibus propter metrum *ἐξ οὗ* usurpari nequit, ueluti:

Plut. 1113 *εἴργασθ᾽· ἀφ᾽ οὗ γὰρ ἦρξατ᾽ ἐξ ἀρχῆς βλέπειν ὁ Πλοῦτος,*

et Amphiar. frg. XV (Dindorf. 97)

⏑ — *ἀφ᾽ οὗ κωμῳδικὸν μορμολυκεῖον ἔγνων,*

tetrameter iambicus catalecticus choriambo pro tertia dipodia posito. Vnus[1]) extat apud Aristophanem locus, quo *ἀφ᾽ οὗ* in primo trimetri iambici acatalecti pede in codicibus nostris Aristophaneis traditur, Plut. 968

ἀφ᾽ οὗ γὰρ ὁ θεὸς οὗτος ἤρξατο βλέπειν,

qui uersus infra recurrit ab interpolatore inepte insertus 1173[1]). Videtur autem utroque loco ad similitudinem v. 1113 quem supra attuli *ἀφ᾽ οὗ* interpolatum esse pro eo quod extitisse puto *ἐξ οὗ*.

Solet enim multo saepius apud eundem poetam *ἐξ οὗ*[2]) iis locis adhiberi, quibus etiam *ἀφ᾽ οὗ* metro satisfaceret uelut:

Eq. 644 *ἐξ οὗ γὰρ ἡμῖν ὁ πόλεμος κατερράγη,*
Av. 1515 *ἐξ οὗπερ ὑμεῖς ᾠκίσατε τὸν ἀέρα,*
Lys. 108 *ἐξ οὗ γὰρ ὑμᾶς προὔδοσαν Μιλήσιοι,*
Lys. 759 *ἐξ οὗ τὸν ὄφιν εἶδον τὸν οἰκουρόν ποτε,*
Lys. 866 *ἐξ οὗπερ αὐτὴ 'ξῆλθεν ἐκ τῆς οἰκίας.*

Neque aliter apud poetas tragicos *ἀφ᾽ οὗ* et *ἐξ οὗ* locutiones usurpantur: *ἀφ᾽ οὗ* ab Euripide nunquam, a Sophocle et Aeschylo nisi iis locis, quibus metro postulatur, non admittitur:

Soph. O. R. 758 *οὐ δῆτ᾽· ἀφ᾽ οὗ γὰρ κεῖθεν ἦλθε καὶ κράτη,*
Antig. 562 *ἄνουν πεφάνθαι, τὴν δ᾽ ἀφ᾽ οὗ τὰ πρῶτ᾽ ἔφυ,*
Aiac. 600 *ἐγὼ δ᾽ ὁ τλάμων παλαιὸς ἀφ᾽ οὗ χρόνος,*
Aeschyl. Pers. 177 *ξύνειμ᾽, ἀφ᾽ οὗπερ παῖς ἐμὸς στείλας στρατὸν.*

---

[1]) Iure enim Velsenus (Symb. Philol. Bonnens. pg. 420) hunc uersum damnauit ut ex vv. 968 1113 effictum.

[2]) *ἐξ οὗ* metro anapaestico flagitatur Acharn. 628 *ἐξ οὗ γε χοροῖσιν ἐφέστηκεν τρυγικοῖς ὁ διδάσκαλος ἡμῶν.*

Contra ἐξ οὗ saepius iis quoque locis usurpatur, quibus ἀφ' οὗ legibus metricis non uetatur:

Aeschyl. Pers. 762 ἐξ οὗτε τιμὴν Ζεὺς ἄναξ τήνδ' ὤπασεν,
Eumen. 25 ἐξ οὗτε Βάκχαις ἐστρατήγησεν θεός,
Soph. Trach. 38 ἐξ οὗ γὰρ ἔκτα κεῖνος Ἰφίτου βίαν,
Aiac. 1337 ἐξ οὗ 'κράτησα τῶν Ἀχιλλείων ὅπλων,
O. R. 1201 ἐξ οὗ καὶ βασιλεὺς καλεῖ,
Eurip. Troad. 4 ἐξ οὗ γὰρ ἀμφὶ τήνδε Τρωικὴν χθόνα[1]).

Nescio an eidem temeritati Suidae debeantur corruptiones
v. 49 τισι pro ἄκροισι et
v. 104 θύραις pro βύρσαις; priore enim loco scripturam genuinam oblitteratam fuisse uerisimile est[2]), quam Suidas coniectura Byzantino compilatore digna et inuito metro τισι uocula explere non dubitauit; altero loco cum Suidam facetiae Aristophanis coriarium uoce βύρσαις significantis fugerent, inuitis numeris θύραις, quod ab actione non plane abhorrebat, comico inculcauit.

Sequuntur eae falsae scripturae quibus oculorum errore deceptus Suidas librum suum male depinxit. Saepe enim ex scholio uel adscripto uel superscripto Suidas glossema pro genuina scriptura in schedas transmigrare iussit, ueluti in v. 62

ὁ δὲ ὡς ὁρᾷ μεμακκοακότα τὸν δεσπότην

uerba τὸν δεσπότην ad circumscribendum pronomen αὐτὸν margini adnotata pro genuina lectione descripsit.

Item in v. 247:

παῖε, παῖε τὸν ἀλιτήριον καὶ πανοῦργον καὶ ταραξιππό-
στρατον

uox ἀλιτήριον, quae ad explicandum πανοῦργον superscripta erat, addita καὶ particula in textum inuasit.

---

[1]) ἐξ οὗ metro flagitatur apud Aeschylum nunquam, apud Sophoclem Aiac. 661 ἐγὼ γὰρ ἐξ οὗ χειρὶ τοῦτ' ἐδεξάμην, apud Euripidem Electr. 1279 Μενέλαος ἐξ οὗ Τρωικὴν εἷλε χθόνα, Cretens. frg. 457 ἁγνὸν δὲ βίον τείνομεν ἐξ οὗ Διὸς Ἰδαίου μύστης γενόμην.

[2]) Meinekius cum ἄκροισι codicum corruptum esse suspicatus proponeret σαθροῖσι, dubito num recte iudicauerit.

Neque aliter in v. 602

ῥυππαπαῖ, τίς ἐμβαλεῖ;

ex scholio, quo epiphonema *ἱππαπαῖ* instar epiphonematis *ῥυππαπαῖ* ab Aristophane formatum esse exponitur, *ῥυππαπαῖ* irrepsit [1]).

Porro in v. 909:

ἰδού, δέχου κέρκον λαγώ, ὥστε τὰς λήμας περιψεῖν

uerba *ὥστε τὰς λήμας περιψεῖν* ex scholio, quod in codicibus *VΘ* quoque seruatum est, intrusa genuinam lectionem *τὠφθαλμιδίω περιψῆν* loco mouerunt; eodemque modo in vv. 920 921 922:

Ὑφελκτέον τῶν δᾳδων καὶ ἀπαρυστέον τῶν κρεῶν,

quorum genuina forma haec est:

ὑφελκτέον
τῶν δαλίων [2]), *ἀπαρυστέον*
τε τῶν ἀπειλῶν ταυτηί

corruptela apud Suidam inde orta est, quod in scholio addito haec leguntur: *τοῦτο ποιοῦσιν ὅταν παφλάζῃ ὁ λέβης, ἀφαιροῦντες ἐκ τῶν κρεῶν.*

Similiter in vv. 989 990:

Τὴν Δωριστὶ μόνην ἁρμονίαν ἁρμόττεσθαι θάμα τὴν λύραν,

uox *ἁρμονίαν* glossae debetur uerbis *τὴν Δωριστὶ* olim adscriptae [3]). Syllabam autem breuem quae desideratur in v. 989 recte suppleuisse uidetur Bernhardyus *μὲν* post *μόνην* positam.

Item 1129—30: *Τοῦτον δ', ὅταν ᾖ πλέως,*
ταπεινώσας ἐπάταξα

— *ἄρας ἐπάταξα* cum codicibus Aristophaneis scribendum est — *ταπεινώσας* debetur scholio: *Ἀντὶ τοῦ γένηται φαεινός·*

---

[1]) Ceterum a Suida uocibus *ῥυππαπαῖ* et *ἱππαπαῖ* rectum tribui accentum circumflexum teste Herodiano (I pg. 502) docuit Aemilius Schinck in libello, quem scripsit de interiectionum epiphonematumque ui atque usu apud Aristophanem (pg. 26).

[2]) correxit Bentleius; codices *δᾳδων* R*VΓM*, *δάδων* *PΘΔ*, *δαδίων* *A*.

[3]) de hac figura etymologica nonnulla adnotauit Lobeckius Paralip. pg. 521.

τουτέστι πλήρης· ὅταν ηὐξῆσθαι δοκῇ, καὶ μέγας εἶναι, τοῦτον ταπεινὸν ἐποίησα. τουτέστιν, ἐάσας πλουτῆσαι δημεύσω. Miserrime autem Suidam hoc scholium tractasse ex ea scholii forma apparet, quae codicibus *VΘ* seruata est: *ὅταν ᾖ πλέως Φαεινὸς ἀντὶ τοῦ πλήρης. τουτέστιν, ὅταν ηὐξῆσθαι δοκῇ καὶ μέγας εἶναι.* Ergo omnino non hic locus est adiectiuo *φαεινός*, sed Phainum grammaticum uocem *πλέως* per *πλήρης* explicari uoluisse scholio docemur[1]).

Etiam in v. 796 scriptura *ῥοθοπυγίζων* — *ῥαθαπυγίζων* codices Aristophanis exhibent — ex explicatione addita originem duxit: *λάθρᾳ τύπτων κατὰ τῆς πυγῆς πλατείᾳ τῇ χειρὶ ἢ* (sic Suidas, scholia *VΘ καὶ*, quod apud scholiastas eodem sensu atque *ἢ* usurpari solet) *πλατεῖ τῷ ποδὶ τῇ πυγῇ ῥόθον ποιῶν.* Ceterum quoniam uerbis *ῥαθαγέω, ῥάθαγος, ῥαθάσσω*[2]) codicum scriptura confirmatur, Thomae Magistro *ῥοθοπυγίζειν* et *ῥοθοπυγισμός* afferenti non maior quam Suidae auctoritas tribuenda uidetur, cum in eundem errorem utique Suidas simili scholio perductus sit.

Neque aliter iudicandum uidetur de uersu 9

ξυναυλίαν πενθήσωμεν Οὐλύμπου νόμον

qui in codicibus Aristophanis sic traditur:

ξυναυλίαν κλαύσωμεν Οὐλύμπου νόμον[3]).

Collato enim Theodoro Hyrtaceno[4]): *δεῦρο δὴ Καλλιόπη καὶ Μοῦσαι, Σειρῆσιν αὐτοῖς Ἀχελωΐσι, ξυναυλίαν πενθήσατε* uerisimile fit *πενθήσωμεν* nihil aliud esse quam glossema uoci *κλαύσωμεν* Byzantinorum temporibus inusitatae superscriptum. Cum autem forma *Οὐλύμπου* uirorum doctorum dubitationem moueret, utpote quae ab Atticorum loquendi usu abhorreret, Kusterus *ἂν Ὀλύμπου* scribendum esse censuit, Meinekius[5]) illa uerba *αὐτολεξεὶ ex tragico aliquo Aristophanem assumpsisse statuit, non ut ea rideret, sed ut comicae*

---

[1]) cf. Dindorf. Addend. ad Schol. vol. III pg. 388 adnot., ubi loci, quibus Phaini grammatici mentio fit, enotantur.

[2]) Hesych. *ῥαθασσόμενοι· ῥαινόμενοι, πληττόμενοι.*

[3]) *νολόμον* R.

[4]) Boissonad. Anecdd. Graec. I. 277.

[5]) Vindd Aristoph. pg. 50.

dictioni aliquid grauitatis conciliaret; Toupius[1]) denique rectam, qua hic locus sanari posset, uiam ingressus esse sibi uisus est, cum Suidae scripturam a uero proxime abesse ratus *tum metri tum atticismi gratia*

ξυναυλίαν πενθήσομεν Ὀλύμπου νόμον

reponendum esse moneret.

At male hic metro consuluisse uidetur uir doctissimus; etenim quoniam docuerunt Porsonus, G. Hermannus, Westphalius caesuram post absolutum pedem alterum ita tantum apud poetas tragicos comicosque ferri posse, ut simul caesura hephthemimeres in eodem uersu intercederet, huic regulae satisfacit uersus

ξυναυλίαν | κλαύσωμεν | Οὐλύμπου νόμον,

obuersatur uersus, qualis a Toupio e Suida restitutus est:

ξυναυλίαν πενθήσομεν Ὀλύμπου νόμον.

Quare statuemus consulto hoc loco Aristophanem formam *Οὐλύμπου* adhibuisse, ut uel sono clamorem gemitumque seruorum depingeret.

His similes extant aliquot loci, quibus Suidas uoce uel praecedente uel insequente deceptus Aristophanis uerba immutauit: ueluti v. 502 *ἥξεις στεφάνοις κατάπαστος,* ubi *ἥξεις* pro *ἔλθοις* ex v. 497 *χὤπως — ἥξεις πάλιν* in hunc uersum transmigrauit. Similiter errauit in v. 1312 *ἐπὶ τὸ Θησεῖον* (om. *πλεούσαις*) *ἢ ἐπὶ τῶν Σεμνῶν θεῶν,* atque in v. 1355 *αἰσχύνομαι ταῖς προτέραις ἁμαρτίαις* pro *πρότερον* exarauit *προτέραις*; etiam in v. 311 *ἀνακεκώφηκας,* quae uox pro *ἐκκεκώφηκας*[2]) propter *ἀνατετυρβακώς* uersus praecedentis falso a Suida depicta est.

Leuiora autem uitia et oculorum errore orta etsi non certo potest discerni utrum ipsi Suidae an codicum Suidanorum librariis crimini danda sint, haec tamen quae sequuntur, quia magis compilatoris paucos uersus extra ordinem decerpentis quam librarii totam fabulam continuam depingentis

---

[1]) Emendd. in Suidam III pg. 438.

[2]) corr. Dindorf *ἐκκεκώφωκας*.

signa prae se ferunt, Suidae ipsius neglegentiae tribuenda uidentur:

v. 35	*προβιβάζεις* † [1])	falso pro	*προσβιβάζεις,*
v. 51	*ἔσχε*	„	*ἔχε,*
v. 56	*πανουργοτάτως* †	„	*πανουργότατά πως,*
v. 57	*αὐτὴν*	„	*αὐτὸς,*
v. 192	*ἔτ'* omissum est ante *ἔστι* †		
v. 230	*ἐξεικασμένος* [2])	pro	*ἐξῃκασμένος,*
v. 360	*ὅτι ὡς*	„	*ὁτιὴ,*
v. 379	*ἐκκοψόμεθα* †	„	*σκεψόμεσθ',*
v. 546	*ἀποπέμψατ'* †	„	*παραπέμψατ',*
v. 835	*ἕξ* i. e. *ς'* †	„	*τετταράκοντα* i. e. *μ'.*
v. 889	*τοῖς τρόποισι* †	„	*τοῖσιν τρόποις,*
v. 1159	*τοῦτον* †	„	*τουτονί,*
v. 1277	*ἀνδρὸς* omiss. †		
v. 1355	*τοι* omiss. †		

Eodem refero v. 634 *σκίταλοί τε*: *τε* non extat in codicibus Aristophaneis; licet enim neque de origine neque de mensura uocis *σκίταλος* satis constet, uerisimile tamen est illud *τε* ex uersu insequente

Βερέσχεθοί τε καὶ Κόβαλοι κτλ.

in v. 634 transmigrasse.

Denique si quinque illorum codicum ad crisin lexici Suidani adhibitorum corruptelas omnes uellem enumerare, chartae me misereret [3]). Exempli gratia pono has

v. 269 *εἶδε σ' οἷ* VBE,
εἰ δέ σ' οἷ A,
εἶ δέ σοὶ Med.; } pro *εἶδες οἷ*

v. 1378 *συνεριστικὸς* AC,
συνερειστικὸς BE,
συνεριστικῶς V; } pro *συνερκτικὸς* [4])

---

[1]) eae uoces quas cruce signaui metro aduersantur.

[2]) idem uitium in scholiis *VΘ*.

[3]) codicum BE locos corruptos supra enotaui (§ 1 extr.)

[4]) *κ* saepius in *ις* abire monuit Schaeferus ad Gregor. Corinth. pg. 244.

v. 570 ἠρίθμησε CBE recte,
ἠρήμησε V,
ἠρέμησε A.

Quod Kusterus scholiastae explicationem ἀποδειλιᾶν et μεθ' ἡσυχίας ἄγειν uoci ἐρεμεῖν magis conuenire censet quam uoci ἀριθμεῖν, acute illud quidem est obseruatum, at ne codicis A scripturam genuinam Suidae esse existimemus, glossarum ordine apud Suidam obseruato impedimur: ἠρέμα, ἠρεμία, ἠρετισάμην, Ἥρη, ἠρήκασι, ἠρημένην, ἠρήρειστο, Ἥρης, ἠρήσαντο, ἤρθη, ἦρι, ἠρία, ἠριγένειαν, Ἠριγόνειος, Ἠριδανὸς, ἠρίθμησεν, Ἠρικαπαῖος κτλ.[1]) — Sed proposito nostro satisfaciet eas proferre corruptas scripturas, quas iam in archetypo quinque illorum codicum Suidanorum exaratas fuisse uerisimile est, ueluti ubi codd. Aristoph. exhibent:

v. 263	ἐκολαβήσας†	ἐνεκολάβησας[2]),†
v. 354	ἐπειπὼν[3])†	ἐπιπιὼν,
v. 400	εἰ μή σε μισῶ†	εἴ σε μὴ μισῶ,
v. 419	ὁρᾶτ' ἄρα	ὁρᾶθ' ὥρα (ὧρα V),
v. 509	ἔτυχες	ἔτυχε[4]),†
v. 527	ἐρρεῖ	ἔρρει,
v. 529	συμποσίοις	συμποσίῳ[5]),
v. 721	τουτίγε†	τουτογί,
v. 803	καθορᾶται	καθορᾷ σοῦ[6]),
v. 807	αὐτῶν	αὐτὸν,
v. 930	ἐφιστάναι	ἐφεστάναι,
v. 969	Σμηκύθην	Σμικύθην.

Haec de propriis Suidae scripturis erant dicenda.

---

[1]) Seruatus autem is est in Suidae lexico litterarum ordo, quem uocalium ἀντιστοιχίαν uocant, ut disponerentur uocales αι ante ε, ει et η ante ι, ω post ο, οι ante υ, et haec litterarum series efficeretur: α β γ δ αι ε ζ ει η ι θ κ λ μ ν ξ ο ω π ρ σ τ οι υ φ χ ψ. cf. Anecdd. Villois. II pg. 121 (adnot. 1) ad Theognosti librum mille regulas de recta scribendi ratione continentem, Bernhardyum in Commentt. de Suidae lexico pg. 38 et Hist. Litt. Graec. I[4] pg. 722.

[2]) ἐνεκολήβασας correxit Brunckius.

[3]) sic etiam Phauorinus.

[4]) ἔτυχεν recte pr. m. Δ.


[5]) ξυμποσίῳ ΓΔ.

[6]) καθαρῶ σοῦ A.

§ 9.

Atque ut quid sentiam de Suidanis ex Equitum fabula excerptis breuiter comprehendam, Suidae scripturae neque ad id codicum genus referendae sunt quod codices *V-P-AΓΘΔ* complectitur, neque cum Rauennate arta quadam cohaerent necessitudine, uerum propter complures scripturas a ceteris libris prorsus alienas singulari cuidam codicum familiae sunt adtribuendae, a qua codex Ambrosianus omnium proxime abest. Certo reicienda est Dindorfii aliorumque sententia qui Suidam uno pluribusue codicibus Rauennati Venetoque simillimis usum esse arbitrantur.

Vniuersorum igitur Aristophanis codicum originem, qualem quidem in Equitum fabula perspicere licet, hoc stemmate illustrasse iuuabit:



Quae cum ita sint, quamuis dispersa et dilacerata Aristophanis fragmenta a Suida exhibeantur et Suidae ipsius codices maximeque BE foedissimis corruptelis nonnunquam uitiati sint, tamen laudem meruisse uidetur Wold. Ribbeckius, quod Equitum editioni Suidae quoque scripturas et adnotationes si non omnes at certe grauissimas subscripsit. Et pro-

1) h. e. is, quem Suidas in usum uocauit, codex undecim fabularum Aristophanearum.

fecto minime neglegendus est Suidas in recensendis Aristophanis fabulis: nam et uetustissimi et singularis codicis Aristophanei reliquiae satis amplae his lexicographi excerptis seruatae sunt. Et quoniam quantum a Rauennate scripturae Suidae discrepent considerauimus, hoc monendum est, ne cum nonnullis uiris doctis Rauennati libro corruptelis apertis saepenumero infecto nimiam auctoritatem tribuamus.

CAPVT ALTERVM.

§ 10.

Nunc transeo ad tractandas Thesmophoriazusas et Lysistratam fabulas. Quibus in recensendis praeter *BC* codices (Parisinos 2715 2717), Vossianum Leidensem (*L*) Laurentianum *Δ* (31, 16), quibus Thesmophoriazusae non adseruantur, uulgo in usum uocabantur codices R(auennas) et Augustanus (G Velseni), denique Iuntina editio princeps. Nunc Velseni commentatione: „Ueber den codex Urbinas der Lysistrata und der Thesmophoriazusen des Aristophanes“ luculentissime apparet editionem illam principem Iuntae ex ipso R° fluxisse [1]). Augustanus uero *ubique fere uel saltem in rebus grauissimis cum R° consentire nec nisi calami erroribus a R° differre* Thierschio uidebatur et Engero. [2]) Quo fit, ut in Thesmophoriazusis cum uno R° Suidae lectiones comparandae sint.

§ 11.

Leguntur autem huius fabulae apud Suidam uersus 203 — ea est sexta fere totius fabulae pars — locis 148 citati [3]).

Ac primum quidem ex eis locis ubi Suidas cum R(auennate) congruit, insignes quosdam enumerabo:

V. 100 Suidas cum R° διαμινυρίζεται immisso contra metri

---

[1]) Refellitur igitur sententia Engeri Iuntinam a R° et Augustano *non calami tantum erroribus sed grauiore etiam scripturae diuersitate differre* opinantis.

[2]) praef. Lysistr. XII, Mus. Rhen. II 245.

[3]) Reliquae comoediae a Suida afferuntur: Nubes locis 424, Aues 408, Acharnenses 385, Ranae 331, Pax 231, Plutus 252, Vespae 209, Lysistrata 201, Ecclesiazusae 195.

elegantiam proceleusmatico exhibet, quod Dawesius[1]) in *διαμινύρεται* correxit[2]).

v. 125 *δοκίμῳ*[3]) et v. 179 *κοινῇ*[4]) contra scholii testimonium legitur et in R^e et apud Suidam.

v. 868 *τί οὖν ἔτι ζῶ* (*ζῇ* S) *τῶν κοράκων πονηρίᾳ;* R et Suidas inepte Mnesilocho continuant, cuius partem alteram *τῶν κοράκων πονηρίᾳ* mulieri esse tribuendam ex scholio apparet perspexitque Bentleius.

v. 772 ultimus pes trimetri iambici acatalecti deest R^i et Suidae.

Post v. 129 parepigraphen exhibet *ὀλολύζεις γέρων* R, *ὀλολύζει ὁ γέρων* rectius S, quam uix probabiliter in textum recepit Fritzschius.

His opponatur non mediocris differentiarum inter Suidam et R^{em} copia. Atque ut taceam, ubi leuiter in R^e peccatum sit, Suidas uero genuinam scripturam retinuerit[5]), grauioris momenti hae uariae scripturae esse uidebuntur[6]). Itaque praebent in vv.:

S	R
42 *μελοποιῶν*	*μελωποιῶν* †,
53 *ἁψίδας* s. gl. *Δρύοχοι* et s. gl. *Χιανεύει*, *ἁψῖδας*[7]) s. gl. *Λαικαστής*	*ἀσπίδας*,†

[1]) Miscell. Crit. pg. 263.

[2]) Meinekius Vindd. Aristoph. pg. 176 *δὴ μινυρίζεται* proposuit.

[3]) Dindorfius *δόκιμον* ex scholio.

[4]) Bisetus *καινῇ* ex scholio.

[5]) uelut vv. 2 159 515 601 948 aut uerba uno ductu perperam in R^e exarata apud Suidam dirimuntur aut uerba falso in R^e dirempta apud Suidam contrahuntur; vv. 36 180 263 383 accentus recte apud Suidam picti sunt; vv. 195 258 486 iota subscriptum, quod uocatur, recte apud Suidam positum est.

[6]) In his enumerandis eas Suidae lectiones, quae uiris doctis probatae pleraeque ab editoribus Aristophani restitutae sunt, litteris latius dispositis, itemque in altera plagulae parte Rauennatis probabiles scripturas conspicuas reddam; cruce notabo eos locos, quibus numeri uiolantur, asterisco eos, de quibus paulo infra fusius agendum est.

[7]) restituit Bentleius.

	S	R
54	τωρεύει A τορεύει BCVE †	τορνεύει *,
74	χρή σε	χρῆν σε *,
100	μυρμήκων†	μύρμηκος,
106	ἔχει[1]	ἔχεις *,
130	πότνιαι	πότνια,
139	ἀξύμφορον ABE ξύμφορον VC †	οὐ ξύμφορον *,
140	τίς δὲ †	τίς δαί,
142	ποῦ δὲ τὸ[2] πέος; s. gl. Πέος, ποῦ τὸ πέος† s. gl. Λακωνικαί.	καὶ ποῦ σπέος (πέος Aug.),
162	οἵπερ[3]	οἵ περί,
162	ἐχύμισαν	ἐχύμησαν † *,
163	διεκίνουν	διεκίνων *,
178	οἷός τε	οἷόν τε,
196	ἂν extat[4]	omissum est † *,
223	ἀτταταταταταί	ἀττατα· ἀτταται·,
245	φῦ	φεῦ,
246	γεγένημαι[5]	γεγέννημαι †,
261	ἔγκυκλον	ἐγκύκλιον †,
263	γοῦν[6]	γ' οὐ[a],
278	Θεσμοφόρῳ †	Θεσμοφορίῳ *,
295	εὐφημία ἔστω[7]	εὐφημί' ἔστω,
364	λέγουσ'	λέγουσιν †,

---

1) sic ex Suida Reiskius.
2) *καὶ ποῦ τὸ πέος* Bothius; adstipulatus est Velsenus.
3) corr. Bentleius.
4) corr. Porsonus et Koenius ad Gregor. Corinth. pg. 44.
5) cf. Eustath. pg. 314, 15.
6) reposuit Brunckius.
7) *εὐφημία 'στω* Brunckius.

a) etiam sec. m. R *γοῦν* correxit.

	S		R	
369	ὤσθ'		ὡς ‖ θ' (in v. 370),	
374	ἐπιστάτει ABV ἐπιστάσει CE		ἐπεστάτει,	
380	πρότερον		πρῶτον,	
390	ἔμβραχυ		ἐνβραχὺ,	
392	μοιχοτρόπους[1])		μυχοτρόπους,	*
392	ἀνδρεραστρίας[2])		ἀνδρεαστρίας,	*
393	οἰνοπίπας		οἰνοποτίδας,	*
394	ἀνδράσιν		ἀνδράσι †,	
427	ἐδίδαξε		ἐδίδαξεν †[a]),	
427	θριπηδέστατ'[3])		θριπήδεστα,	
436	ἰδέας[4])		εἰδέας,	
438	ποικίλως		ποικίλους,	
469	ὀναίμην[5])		ὀνοίμην *,	
481	μου ῎κνυεν		μ' οὔκνυεν *,	
493	μάλισθ' ὅταν		ὅταν μάλισθ',	*
493	ληκώμεθα[6])		κινώμεθα,	*
494	ὅλην†		ἕωθεν,	*
514	ἔκμαγμα σὸν BCE ἔκμασον A ἐκμάσσοντα V	†	αὐτέκμαγμα σὸν,	
532	πλὴν ἄλλαι		πλὴν ἄρ' εἰ *,	
576	ὑμᾶς		ὑμῶν,	
616	χθὲς γὰρ† AVE ἐχθὲς γὰρ B		γὰρ ἐχθὲς[b]) *,	

---

[1]) corr. Zanettius.
[2]) ἀνδρεαστρίας etiam codex A Suidae.
[3]) sic s. gl. Λακωνικαὶ omnes codices, s. gl. Κακοηθέστατα codd. AVE θριπηδέστατα, BC θριπήδεστα.
[4]) Phauorinus ἰδίας, coniecit Velsenus εἶδος.
[5]) restituit Brunckius.
[6]) corr. Bentleius.

[a]) cf. Velsen: Ueber den codex Urbinas pg. 33.
[b]) sic etiam codex C Suidae.

	S	R
630	μέντοι[1])	deest — | ⏑ † *,
631	μετὰ τοῦτο	με τοῦτο†
647	extat apud Suidam	a scholiorum manu adscriptus est,
710	ἥκεις γ'[2])	ἥκεις τ',
730	σὺ δὲ τὸ[3])	σὺ τόδε τὸ †,
737	καλὸν[4]) †	ἀγαθὸν,
737	δὲ κακὸν †	δ' αὖ κακὸν,
747	ὅσον †	καὶ ὅσον,
769	οἶδα δ'	οἶδ',
769	πρότερον ABVEC } † πότερον Oxon.	πόρον, } *
772	γ' ἔκειντο	γένοιτ',
773	εἰ ταδὶ	εἶτα διά,
834	Στήνι(α)[5])	τηνίοισι,
868	ζῃ τῶν BVCE, ζῇ τῶν A	ζῶ τῶν*,
910	Μενέλεων[6])	μενέλαον,
910	ὅσον ἐκ	ὅσα γ' ἐκ,
910	ἰφύων[7])	ἀφύων,
926	ἣν ἐμπνέω †	ἥνπερ ἐμπνέω,
935	ταύτην †	αὐτὸν,
948	θεῶν A, θεαινῶν BVE[8])†, θε͂ (i. e. θεαῖς) C	θεαῖν[a]),

[1]) probauerunt Porsonus, Reisigius Coni. 231, Dobraeus, receperunt Dindorfius, Fritzschius, Engerus.
[2]) corr. Reisigius Coni. 297.
[3]) corr. Kusterus.
[4]) sequitur paulo post κακὸν.
[5]) restituit Kusterus Στηνίοισι ex scholio.
[6]) restituit Dindorfius duce Reisigio in Coni. 277.
[7]) emendauit Porsonus, restituit Brunckius.
[8]) itaque in archetypo codicum Suidanorum scriptum fuerat θεαιν[ων].

[a]) θεοῖν Meinekius, Velsenus.

S	R
1197 *συβήνην* [1])	*συμβήνην*,
1197 *οὐκ ἔχω οὐδὲν* [2])	*οὐκ ἔκ ὠδέν* [a]),
1214 *διέβαλέ*	*διέβαλλε* †,
1214 *ἡ γραῦς* [2])	*ὁ γραῦς* [b]),
1217 *ἢ ἔφερεν*	*ἤφερεν* (= *ἢ ’φερεν*).

§ 12.

Iam quid singulis Thesmophoriazusarum uersibus ex Suida emendationis possit redundare uideamus.

Itaque quod ad v. 39 Engerus adnotauit: *Recte λαὸς Suidas s. gl. εὐφήμει*, non prorsus recte fecit; nam duo tantum codices *λαὸς* exhibent, quorum alterum E interpolatum et ex ipsis recentissimis poetae codicibus esse refictum Bernhardyus monuit, alterum V a correctore eodem fere modo tractatum esse apparet, si obiter huius codicis scripturas cum codice optimo et uetustissimo Parisino A comparaueris.

Ante v. 52 apud Suidam s. gl. *Δρύοχοι* et s. gl. *Χιανεύει* legitur *Ἀγάθων ἄρχεται* (*ἔρχεται* ABC s. gl. *Δρύοχοι*) parepigraphe, quae similis est eis, quae post v. 129 extant, uerbis *ὀλολύζει ὁ γέρων*. Bernhardyus autem, cum in adnotatione ad gl. *Δρύοχοι* illa uerba Aristophani restituenda putaret, *ut exprimeretur Aristophaneum μέλλει* (in v. 49), errat, immo uerisimile est haec uerba a librario, qui illa *δρυόχους τιθέναι* et quae sequuntur Agathonis non ministri esse uerba somniaret, uersui 52 adscripta esse.

v. 54 Suidae codices BVCE falso *τορεύει* pro *τορνεύει* exhibent; quam ut offensam metricam tolleret, is qui codicem A exarauit, *τωρεύει* emendasse sibi uisus est; potest tamen etiam *ω* casu ex *ο* effectum esse.

Ad v. 74 Dobraeus adnotat posse hunc uersum in Euri-

---

[1]) *συβίνην* corr. Brunckius.

[2]) nimirum ut perplexis Scythae uerbis forma legibus grammaticis accommodatior efficiatur.

[a]) *οὐκ ἔκ οὐδὲν* ex editione Farrei recepit Engerus.

[b]) corr. Brunckius *ὦ γραῦς*.

pidis orationem sequentem transferri legendo scilicet χρὴ pro χρῆν. Huic sententiae Suidae lectio χρὴ uidetur fauere, etsi personarum notae constanter in locis a Suida citatis omittuntur[1]). Nam χρὴ illud neglegentiae librariorum deberi ea de causa minus est uerisimile, quod aliis locis[2]) Suidae codices aut bonam scripturam χρῆν (ἐχρῆν) aut corruptam in χρῆ, nunquam in χρὴ exhibent. Accedit quod ex scholiastae adnotatione, quam Suidas quoque tuetur, οὐ μόνον κηδεστὴς ὁ ἐκδιδοὺς (διδοὺς minus bene Suidas) ἀλλὰ καὶ ὁ λαμβάνων elucere uidetur hoc loco κηδεστὴν idem esse quod generum non idem quod socerum, uelut in v. 210 Mnesilochus generum Euripidem sic adloquitur ὦ φίλτατ', ὦ κηδεστά, μὴ σαυτὸν προδῷς. Nullius uero momenti hoc loco est Suidae uocis κηδεστής explicatio, quam in adnotatione subministrat, ὁ πενθερός, quippe quae uox ambigua duas significationes et soceri et generi complectatur. Denique accusatiuum personae ex uocabulo κρύπτειν pendentem desiderantibus Brunckio Dobraeo Dindorfio placuit κηδεστὴν ἐμέ pro κηδεστὴν ἐμόν proponere; quae coniectura superuacanea sit, si Euripides uerba οὐ χρή σε κρύπτειν ὄντα κηδεστὴν ἐμόν loquatur.

v. 106 ἔχει a Reiskio ex Suida correctum receperunt editores; monuit enim iam Toupius[3]): *sed uerior et elegantior Suidas ἔχει; quod ex interpretamento subiecto patet. Idem* εὐπίστως τοὐμὸν ἔχει *et* εὐπίστως ἔχω.

v. 125 pro δοκίμῳ, quod codices Aristophanei et Suidas habent, Dindorfius ex R^is scholii uerbis: ἐπεὶ Ἀπόλλων ἐστὶν ὁ κιθαρίζων. τῆς οὖν κιθάρας ἄρσενι βοᾷ δοκίμου οὔσης φῶς ἔσσυτο, scribendum putauit δόκιμον; at haec uerba ex coniectura grammatici alicuius originem duxisse et probauit Engerus[4]) et testatur auctor scholii: τῇ θαυμαστῇ καὶ δεδοκι-

[1]) cf. gl. τεχνάσμασι, ubi vv. 198—201 continui leguntur omnique personae nota carent.

[2]) Eq. 535 χρὴ R-Ρ-ΑΓΘΔ, χρῆ V et S (CV), χρην M et S (ABE); Lys. 526 χρῆν codd. Aristophanei et Suidas; Nub. 371 χρῆν codd. Aristophanei, ἐχρῆν S; Pac. 733 χρῆν codd. Aristophanei et S (A), ἐχρῆν S (BCE), χρῆ S (V).

[3]) Emendd. in Suidam III. 410.

[4]) in adnot. ad h. l.

μασμένῃ φωνῇ et confirmat denique Suidas apud quem longior illa grammatici adnotatio non extat, sed sola uerba *τῇ θαυμαστῇ φωνῇ καὶ δεδοκιμασμένῃ* s. gl. *Ἄρσενι* leguntur. Probabiliorem igitur coniecturam protulit Meinekius[1]) *δοκίμων* ad *ὕμνων* referendum.

v. 139 pro *οὐ ξύμφορον* in Suidae codicibus ABE *ἀξύμφορον* legitur, in codicibus VC *ξύμφορον*, quod per errorem pro *ἀξύμφορον* scriptum est; recte autem Bothius *ἀξύμφορον*[2]) uidebitur recepisse, si comparaueris Nub. 1371, ubi eundem Aeschylum irridet[3]) Aristophanes atque hoc loco et propter grandem et sonoram orationem *ψόφου πλέων ἀξύστατον* appellat. Incaute uero Fritzschius, ut uocem *ἀξύμφορον* reiceret, Sophoclis O. T. 439 affert, ubi recte codex Laurentianus optimae notae *κοὐ σαφῆ* suggerit, cum uulgo legatur *κἀσαφῆ*. Hic enim locus ad nostrum minime quadrat; nam cum ibi sollemnis sit apud tragicos duorum adiectiuorum idem significantium copulatio, hoc loco tale quicquam omnino non reperitur.

Quod ad v. 162 in scholio R^is adnotatum est scripturam *Ἀχαιός τὰ παλαιότερα ἀντίγραφα* habuisse et ab Aristophane Byzantio in *κ᾿ Ἀλκαῖος* mutatam esse, id Suidas non nouit. Inter coniecturas autem ad sanandum hunc locum prolatas[4]) Meinekii[5]) praeferenda uidetur, qui *καχαιος* facile ex *καιλασος* i. e. *καὶ Λᾶσος* gigni potuisse suspicatur collato Vesp. 1410, ubi Lasum commemorat et cum Simonide componit Aristophanes.

In eodem uersu *ἐχύμισαν* pro *ἐχύμησαν* inde ab editione Aemilii Porti ex Suida Aristophani restitutum est; idemque correxit M. Schmidtius apud Hesychium: *ἐχύμισαν· ἤρτυσαν.*

---

1) Vindd. Aristoph. pg. 147.

2) *ἀξύμφορος* legitur Eurip. Troad. 491, Thucyd. I 32, II 91, VIII 50, alibi apud; Xenophontem, Platonem, Aeschinem similiter formatae sunt *ἀσύντονος, ἀσύμβολος, ἀσύμπλοκος, ἀσύστολος, ἀσυνείσφορος* alia multa.

3) Nam hoc loco contra Hermannum (Opusc. V 14, 15) et cum Fritzschio longiorem esse Aeschyli parodiam existimem et per octo uersus extendi.

4) *χὡ Κεῖος* Fritzschius, *ἁρχαῖος* Hermannus probante Engero.

5) Vindd. Aristoph. pg. 149.

Ad v. 163 *διεκίνων* [1]) Suidas aptissime addit hanc explicationem: *ἀντὶ τοῦ μίτραις τουτέστι ζώναις διαζωσάμενοι ἁβρῶς περιεπάτουν* (R nihil exhibet nisi *ἁβρῶς*); nam docent Agathonis uerba initio orationis vv. 159 160

ἄλλως τ' ἄμουσόν ἐστι ποιητὴν ἰδεῖν
ἀγρεῖον ὄντα καὶ δασύν

et quae in v. 165 de Phrynicho dicuntur *καὶ καλῶς ἠμπίσχετο,* mollem et luxuriosum uestitum illum excusare. Quam ob rem coniecturis quas proposuerunt uiri docti Toupius [2]) *διέκλωντ'*, Dorvillius [3]) *διέκνων* (quod probat Dindorfius) praestat Fritzschii *διεχλίδων*, nisi quod rectius Meinekius [4]) *τε* particula seruata *τε κἀχλίδων* scribendum esse monuit, idque arrisit Velseno.

v. 196 ex Suida prius *ἂν* Aristophani reddiderunt Porsonus et Koenius ad Gregor. Corinth. pg. 44, quos secuti sunt editores recentiores seruato scilicet *ἂν* posteriore. At cum apud Suidam aliis locis, ubi apud Aristophanem duplex *ἂν* legitur [5]), posterius *ἂν* omitti soleat, etiam hoc loco eiciendum esse Kusterus censuit et *ἂν μαινοίμεθα* pro *ἂν μαινοίμεθ' ἂν* Aristophani restituendum putauit. Ceterum de duplicis *ἂν* usu et pretio cf. G. Hermannum ad Vigerum pg. 814 sqq. et Reisigium in Coniectt. pg. 187 188.

In v. 257 *ἥδιον* quod apud Suidam peruerse legitur pro *ἡδὶ* ita fortasse ortum est, ut librarius accentum grauem casu longiorem factum pro nota ea acciperet, qua *-ον* solet significari a tachygraphis.

Versus 261 duae extant apud Suidam formae, altera s. gl. *Ἔγκυκλον*:

Φέρ' ἔγκυκλον τουτί. Λάμβαν' ἀπὸ τῆς κλινίδος,

altera s. gl. *Κλινίς*:

⏑ *Ἔγκυκλον. Τουτὶ λάμβαν' ἀπὸ τῆς κλινίδος,*

---

1) sic s. gl. *Ἐμιτρώσατο*; s. gl. *Ἰωνικὸς· διεκίνουν.*

2) Emendd. pg. 166 ed. Oxon.

3) ad Charitonem pg. 560.

4) Vindd. Aristoph. pg. 149.

5) ueluti Eq. 1168. Lys. 115 116 361.

quam recepit Phauorinus. Praeferenda tamen uidetur Reiskii emendatio *Φέρ' ἐγκυκλόν τι*, quam probarunt Fritzschius et Engerus.

Pro *Θεσμοφορίῳ* in v. 278 Suidas peruerse *Θεσμοφόρῳ* profert; attamen ne R[is] quidem scripturam ferendam sed *Θεσμοφορείῳ* scribendum esse Meinekius docuit[1]).

v. 341 Suidae libri manuscripti[2]) qui hodie supersunt *ἐνετρύλλισεν* exhibent una cum codicibus Aristophaneis, Zonara[3]), grammatico manuscripto in catalogo codd. Naniann. pg. 493; sed cum Phauorinus, qui saepissime in componendo Dictionario Suidam compilauit, *ἐνετρύλησε* hoc loco subministret, conici licet Suidam ipsum aut idem exarasse aut, quod magis placet, *ἐνετρύλισε*, quam scripturam Dindorfius Aristophani restituit.

In vv.

392 *τὰς μοιχοτρόπους τὰς ἀνδρεραστρίας καλῶν*

393 *τὰς οἰνοπίπας, τὰς προδότιδας, τὰς λάλους*

μοιχοτρόπους, pro *μυχοτρόπους* R[is] [4]), Zanettius restituit; tum *ἀνδρεραστρίας*, quod in codicibus BCVE Suidae legitur pro R[is] *ἀνδρεαστρίας*, ueram esse scripturam confirmat Eustathii[5]) *ἀνδρεραστρίας*, testatur Eupolidis[6]) *ἐραστρίας* et Pollucis[7]) *ἀνδρεραστίαν*, quod tertio *ρ* omisso ex *ἀνδρεραστρίαν* corruptum esse apparet. Codicis A autem Suidani *ἀνδρεαστρίας* eodem modo atque in R[e] deprauatum uidetur ex *ἀνδρεραστρίας*. Porro in v. 393 *οἰνοπίπας* Suidae, quam scripturam commendant scholia in h. l. conscripta, editoribus probatum est praeter Dindorfium, qui H. Stephanum *οἰνοπίπας* genere feminino dici non posse iudicantem non inepte secutus censuit eum, *qui οἰνοποτίδας posuerit, recte uideri correxisse*

---

[1]) Vindd. Aristoph. pg. 150.

[2]) collatio Gronoviana codicis V(ossiani) *ἐνετρύλλισες*.

[3]) I 245.

[4]) saepius in eo codice *οι* et *υ* confunduntur, uelut vv. 417 501.

[5]) pg. 381, 15.

[6]) apud Polluc. III, 70: *καὶ γυναῖκας δὲ ἐραστρίας Εὔπολις εἴρηκεν* (Meinek. Fragm. Comic. II 574.)

[7]) III, 20.

antiquorum codicum uitium οἰνοπίπας. Quamquam potest *οἰνοπότιδας* R[is] homoeoteleuto propter *προδότιδας* effectum esse; nec Dindorfii confirmat sententiam quod in Suidae codice A, in lemmate proposito non in ipso uersu, exaratum est *οἰνοπίτας,* quippe quod non ex *οἰνοποτίδας* uerum ex *οἰνοπίπας* corruptum esse uerisimile sit.

v. 449 *ἀλλ' ἡμικάκως* Suidas cum R[e] tuetur; etenim quod in Suidae codicibus V et Oxon. legitur *ἀλλ' εἰ κάκως* [sic][1]) sine dubio ex illa scriptura profectum est, quam etsi Phrynichus[2]) condemnat, tamen comprobat et Aristophani uindicat Pollux[3]).

v. 469 *ὀναίμην* formam a Suida seruatam Aristophani uindicauit Toupius collatis Luciano in Philops. 27 *οὕτως ὀναίμην, ἔφη, τούτων τῶν υἱέων* et Hesychio *ὀναίμην· τύχοιμι ἀπολαύσαιμι, ὠφεληθείην,* probauerunt Lobeckius[4]) et Valckenarius[5]), restituit Brunckius.

In v. 481 contra R[is] scripturam *μ' οὔκνυεν*[6]) Suidas *μου ''κνυεν*[7]) tradit, quod nescio an praeferendum sit[8]) ceteris scripturis a uiris doctis prolatis: Kusteri *μοῦ ''κνυεν,* Bergleri *'μοῦ ''κυεν,* Bekkeri *μού 'κνυεν,* Bothii et Fritzschii *μοὔκνυεν,* Thierschii *μοὖ 'κνυεν, μου 'κνυεν* Dindorfii Engeri Velseni. — In eodem uersu *ἐλθὼν* Suidae confirmat R[is] scripturam contra Eustathii *ἕλκων* et Zonarae[9]) *κινῶν.*

Vv. 493 494 sic apud Suidam leguntur:

μάλισθ' ὅταν ὑπό[10]) *του ληκώμεθα*
τὴν νύχθ' ὅλην, σκόροδα διαμασώμεθα[11]).

---

[1]) fallitur enim Engerus, cum *ἀλλ' εἰ κακῶς* apud Suidam extare adnotet.

[2]) pg. 336 ed. Lobeck.

[3]) VI 161.

[4]) ad Phrynich. pg. 13.

[5]) ad Theocrit. Adoniaz. v. 55 pg. 363.

[6]) teste Velseno.

[7]) testatur Eustathius ad Od. pg. 1746.

[8]) cf. Lys. 48 *χὴ ''γχουσα* Soph. O. C. 1608 *πεσοῦσαι ''κλαιον.*

[9]) I 669.

[10]) CE minus bene *ἀπό.*

[11]) sic etiam Phauorinus hos uersus tradit.

Deprehendit autem apud Suidam *ληκώμεθα* [1]) lectionem Piersonus [2]). Tum scriptura *μάλισθ᾽ ὅταν* praeferenda uidetur Ris *ὅταν μάλισθ᾽*, quod frigide Kusterus Vossius Brunckius interpretati sunt: si uel maxime (id est uehementissime) ab aliquo subagitatae simus; praestat sane uertere: tum maxime, cum ab aliquo subagitatae sumus, alium mandimus. Denique *ὅλην*, etsi sensum lepidum efficit, glossemati ad *τὴν νύχθ᾽* adscripta deberi uerisimile est, cum praesertim de orgiis per totam noctem perpetratis agi doceat *ἕωθεν* aduerbium, quod proxime sequitur; recepit tamen *ὅλην* Velsenus in uersum 493 pro *ὑπό του.*

In vv. 531 532:

Ἀλλ᾽ οὐ γάρ ἐστι τῶν ἀναισχύντων φύσει γυναικῶν
οὐδὲν κάκιον εἰς ἅπαντα πλὴν ἄλλαι γυναῖκες

uerba *πλὴν ἄλλαι γυναῖκες* ex adnotatione addita *τουτέστιν, εἰ μὴ ἄλλη γυνή*, genuinam quam seruauit Rauennas scripturam *πλὴν ἄρ᾽ εἰ γυναῖκες* expulerunt. Neque tamen Dindorfio adsentior, qui scholii uerbis *εἰ μὴ* circumscribi Aristophanis *πλὴν ἄρ᾽ εἰ* et *ἄλλη γυνή* proximi uersus lemma esse statuit; quid enim sibi uelit tale lemma et quam tali lemmati explicationem a scholiasta additam esse uelit Dindorfius, non uideo.

Versus 560 scripturam Suidae

.... *Ἑτέρα τὸν ἄνδρα τῷ πελέκει κατεσπόδησεν*

contra Ris lectionem

οὐδ᾽ ὥς τὸν ἄνδρα τῷ πελέκει γυνὴ κατεσπόδησεν

probant Porsonus [3]) et Dindorfius [4]), cum anapaesti in tetrametri iambici catalectici pede quarto positi rara sint apud poetas Atticos exempla. Cui opinioni repugnat Reisigius in Coniectt. pg. 90, cum *ἑτέρα* *separatim de una non dicatur nec possit nisi cum quadam oppositione poni.* At hoc certo nec inusitatum nec absurdum est, ut postquam uniuersarum mulierum facinora exemplis quibusdam illustrauit poeta, pergat *ἑτέρα* —

---

[1]) etiam in Ro prima manu *ληκώμεθα* exaratum uidetur.

[2]) ad Moeridem pg. 6.

[3]) in Append. ad Toupium pg. 453 et in Sup plemento ad Praefat. Hecub. pg. XLI.

[4]) in adnot. ad h. l.

τὸν ἄνδρα κατεσπόδησεν. Nec nimium tribuendum est Fritzschii dubitationi, qui *ἑτέρα* ex proximo uersu *ἑτέρα τὸν ἄνδρ' ἔμηνεν* illapsum esse sollerter suspicatus est; immo *ἑτέρα* bis positum in illa Mnesilochi enuntiatione aptissimum uidetur locum obtinere.

V. 601 *ξυνέξευρ'* Suidae codicis V lectio, quae in ceteris libris in *συνέξευρ'* abiit, auctore Bentleio Brunckius Aristophani restituit neque opus est coniecturis Toupii [1]) *συνανέξευρ'* aut Koppiersii *σύ γε συνέξευρ'*.

Versum 616 Suidae codices sic tradunt:

στραγγουριῶ χθὲς γὰρ ἔφαγον κάρδαμα AVE Oxon.
στραγγουριῶ ἐχθὲς γὰρ ἔφ. κ. B
στραγγουριῶ γὰρ ἐχθὲς ἔφ. κ. C (item R).

Ex his tribus uariis lectionibus compositis uera Aristophani scriptura restituenda uidetur:

στραγγουριῶ γάρ· χθὲς γὰρ ἔφαγον κάρδαμα,

duplici posito *γάρ,* quod ne Engero quidem insulsum uidebatur. De duplicis autem *γάρ* usu Kuehnerus [2]) haec adnotat: *„Häufig folgen zwei oder mehrere Sätze mit γάρ auf einander, und zwar wechselt entweder das grundangebende γάρ mit dem erklärenden ab oder sie sind beide grundangebend.“* Apud Aristophanem autem duplicis *γάρ* obuiam fiunt exempla Plut. 76 sqq., 104 sqq., 828 sqq., Vesp. 1016 sqq., Pac. 346 sqq. Magnam insuper exemplorum uim ex Homero, Thucydide, Xenophonte affert l. c. Kuehnerus.

Pro v. 702

ὡς ἅπαντ' ἄρ' ἐστι τόλμης ἔργα κἀναισχυντίας [3])

ex Suidae glossa: *Ἅπαντα τόλμης πλέα κἀναισχυντίας· ἐπὶ τῶν ἰταμῶν καὶ ἀναιδῶν,* Toupius hanc uersus formam Aristophani restituendam putauit:

---

[1]) Emendatt. III pg. 380.

[2]) Gramm. Graec.[2] II 2 pg. 856 adnot. 4.

[3]) Hunc uersum ex Bentlei coniectura affero; R enim *ως απαν γάρ ἐστιν τ. ἔ. κ.* habet; Velsenus Porsonum secutus sic eum restituit: *ὡς ἅπαντ' ἄρ' ἐστὶ τόλμης μεστὰ κἀναισχυντίας.*

ὡς ἅπαντ᾽ ἐστὶν πλέα τόλμης ἔργα κἀναισχυντίας,

inuito metro, quoniam spondeus in pede tertio tetrametri trochaici catalectici (πλέα) ferri non potest; Porsonus:

ὡς πλέα 'σθ᾽ ἅπαντα τόλμης ἔ. κ.

Reisigius [1]) denique eiecta uoce ἔργα (propter insequens ἔργον) in v. 703 hos dochmiacos numeros adsecutus est:

ὡς ἄρ᾽ ἅπαντα γ᾽ ἐστὶ τόλμης πλέα κἀναισχυντίας.

At si consideraueris a scholiasta R^is ad h. l. παροιμία adnotatum esse, adsentieris Dindorfio Fritzschio Engero, qui seruasse hoc loco Suidam illud prouerbium arbitrantur, quod et ipsum in eo scholio uoce παροιμία indicatum sit et quo scholia augeri possint, nec laudabis Bernhardyum [2]) qui collato Eq. v. 304

τοῦ σοῦ θράσους πᾶσα μὲν γῆ πλέα

ex Suida reponi iussit:

ὡς ἅπαντ᾽ ἄρ᾽ ἐστι τόλμης πλέα τε κἀναισχυντίας.

Immo nescio an prouerbium illud trimetrum iambicum acatalectum effecerit scribendumque sit apud Suidam: Ἅπαντα τόλμης πλέα [τε] κἀναισχυντίας· ἐπὶ τῶν ἰταμῶν καὶ ἀναιδῶν. [παροιμία]. —

Vv. 769—775 sic a Suida [3]) exhibentur:

οἶδα δ᾽ ἐγὼ καὶ δὴ πρότερον [4])
ἐκ τοῦ Παλαμήδους· ὡς ἐκεῖνος τὰς πλάτας
ῥίψω γράφων [⏒ — ⏑ — ⏒ — ⏑ —]

(hic scholium intercalatum est)

πόθεν οὖν γ᾽ ἔκειντό μοι πλάται [⏒ — ⏑ —]
[⏒ —] ταδὶ τἀγάλματα ἀντὶ [—] πλατῶν
γράφων διαρρίπτοιμι. Βέλτιον πολύ.
Ξύλον γέ τοι [5]) καὶ ταῦτα κἀκεῖνο ἦν [6]) ξύλον,

---

[1]) Coniectt. pg. 274.

[2]) in adnot. ad hunc Suidae locum.

[3]) In Suidae codice A haec glossa ideo intercidisse uidetur, quia librarius ex tribus glossis a lemmate Παλαμήδης incipientibus ultimam omisit.

[4]) πότερον ex codice Oxoniensi Bernhardyus profert.

[5]) γέ τι ABVE.

[6]) κακύνειν E, unde sequitur, ut etiam a Suida κἀκεῖν᾽ ἦν scriptum fuerit.

qui uersus sic a R^e traduntur:

οἶδ' ἐγὼ καὶ δὴ πόρον
ἐκ τοῦ Παλαμήδους· ὡς ἐκεῖνος τὰς πλάτας
ῥίψω γράφων. ἀλλ' οὐ πάρεισιν αἱ πλάται.
πόθεν οὖν γένοιτ' ἄν μοι πλάται; πόθεν [⏑ —]
τί δ' ἄν, εἰ ταδὶ τἀγάλματ' ἀντὶ τῶν πλατῶν
γράφων διαρρίπτοιμι; βέλτιον πολύ.
ξύλον γέ τοι καὶ ταῦτα κἀκεῖν' ἦν ξύλον.

Vbi uerba illa *ἀλλ' οὐ πάρεισιν αἱ πλάται* haud paruam uiris doctis offensam praebuerunt: Brunckius *πάρεισί μοι* coniecit, nec non Fritzschius *ueretur ne πάρεισιν grammatico alicui debeatur, Aristophanes autem scripserit ἀλλ' οὐ γάρ εἰσιν αἱ πλάται.* Quare cum etiam in R^e uersus sequentis (772) ultimus pes desideretur[1]), nescio an uerba *ἀλλ' οὐ πάρεισιν αἱ πλάται* (v. 771) et *πόθεν* (exeunte uersu 772) interpolata sint. Quid enim haec uerba utilitatis aut augmenti his uersibus afferunt? Immo ab interpolatore ex iis ipsis uerbis quae integra tradita erant formari atque refingi poterant; quid enim aliud sibi uult *ἀλλ' οὐ πάρεισιν αἱ πλάται* quam *πόθεν οὖν γένοιντ' ἄν μοι πλάται;*? Et *πόθεν* illud uersui 772 adglutinatum frigide repetitum est. Verba *τί δ' ἄν, εἰ* uero, quae desiderantur apud Suidam, genuina esse Aristophanis uerba existimabimus, cum similia legantur Nub. 154 *τί δῆτ' ἄν, ἕτερον εἰ πύθοιο;* Nub. 1445 *τί δ', ἢν ἔχων τὸν ἥττω λόγον σε νικήσω;* Lys. 366 *τί δ', ἢν σποδῶ τοῖς κονδύλοις;* Suspicor igitur in unum contrahendos esse vv. 771. 772 et scribendum:

ῥίψω γράψων. πόθεν οὖν γένοιντ' ἄν μοι πλάται.

Altera vv. 770. 71 forma et ea corruptissima a Suida s. gl. *Πλάτη* seruata est:

ὥσπερ Παλαμήδης τὰς πλάτας
ῥίψω γράφων Ναυπλίῳ;

---

[1]) *πλάται* suppleuit Engerus, *γένοιντ' ἄν ἀθλίῳ* coniecit **Brunckius**, *γένοιντ' ἄν μοι πλάτας λαβεῖν; πόθεν;* **Dindorfius. Ceterum** *γένοιντ'* ex Suidae peruersa scriptura *γ' ἔκειντο* restitutum est pro *γένοιτ'* ***R.***

etenim *ὥσπερ Παλαμήδης* et *Ναυπλίῳ*[1]) excerpta habes ex scholiastae adnotatione, quae sic exhibetur in

R[e] et	S[a][2])
ὥσπερ Οἴαξ τῷ Ναυπλίῳ γράφει ἐν τῷ Παλαμήδει τοῦ Εὐριπίδου. Ὁ γὰρ Οἴαξ ἐγχαράττει πολλαῖς πλάταις τὰ περὶ τὸν Παλαμήδην καὶ ἀφίησιν εἰς θάλασσαν ὥστε μιᾷ γέ τινι τὸν Ναύπλιον προσπεσεῖν.	*ὥσπερ Οἴαξ τῷ Ναυπλίῳ γράφει τῷ πατρὶ* exciderunt *τὸν Παλαμήδην ἐν διαφόραις πλάταις καὶ ῥιπτεῖ εἰς θάλασσαν, ὥστε μιᾷ γέ τινι Ναυπλίῳ περιπεσεῖν.*

Tamen ex corrupta illa uersuum forma, quae a Suida s. gl. *Πλάτη* exhibetur, concludi potest, cum in archetypo uersus 771 in duas partes diremptus legeretur, scholio marginali tantum spatii fuisse, ut uox *Ναυπλίῳ* ultimam uersiculi partem occupare posset.

Versus 868 has formas Suidas tradit:

Τί οὖν ἔτι ζη τῶν κοράκων πονηρίᾳ V. Oxon. E.
Τί οὖν ἔτι ζῇ τῶν κοράκων πονηρία (sic) A.
Τί οὖν ἔτι ζητῶν κοράκων πονηρίαν C B,

ex quibus scripturis alteram et tertiam ex coniectura satis mira prodiisse apparet. Videtur autem mendosa apud Suidam lectio inde orta esse, quod olim exaratum legebatur:

Τί οὖν ἔτι ζῶ τῇ κοράκων πονηρίᾳ;

quam scripturam Scaligerus in editione sua Aristophani restituit.

Ad v. 878 *ὢ δύστηνος, οἳ πεπλώκαμεν*, quam formam et ipse Suidas tuetur, recte uidetur iudicasse Buttmannus[3]): „*Euripides, der dies Perfect auch auf die attische Bühne brachte* (*Helen.* v. 532 *πεπλωκότα*), *scheint von Aristophanes desswegen verspottet zu werden*“; nec opus est coniecturis Dindorfii ad hunc locum et Matthiaei ad Euripidis locum *πεπλεύκαμεν* et *πεπλευκότα*.

Denique in v. 1059 notabiles sunt Suidae scripturae uariae:

---

1) *Ναυπλοίῳ* teste Bernhardyo collatio Gronoviana codicis V(ossiani).
2) lacunosam et deprauatam scholii formam Suidas seruauit.
3) Gramm. Graec. part. II pg. 220.

ἐπικοκάστρια C,
ἐπικοκκάστρια ἢ ἐπικαγχάστρια A,
ἐπικακοστρᾶ et in marg. ἐπικαχάστρια V,
ἐπικουκούστρια B E,
ἐπικαγκάστρια Oxon. teste Bernhardyo;

tamen R^is scriptura quam probant A (C) Suidae codices et Eustathius[1]) ἀοιδὸς ἐπικοκκάστρια praeferenda est. —

Magna est igitur in recensendis Thesmophoriazusis Suidae auctoritas; nam et plus quadraginta locis solus genuinam Aristophanis scripturam seruauit, et saepissime R^is scripturam fulcit et confirmat, denique ex ipsis Suidae mendis ineptiisque hic illic aliquid lucis Aristophani afferri uidimus; quod quamquam uiros doctos minime fugit, immo saepissime ii qui in edenda uel explicanda hac fabula operam studiumque collocabant Suidae scripturas et adnotationes ad emendandam hanc fabulam adhibuerunt, tamen dignae uidentur quae fere integrae Thesmophoriazusarum apparatui critico inserantur.

CAPVT TERTIVM.

§ 13.

Pergamus ad Lysistratam. De cuius fabulae codicibus quos nunc habemus Engerus haec adnotat: *Duo extant Lysistratae librorum genera, quorum alterum specie quidem emendatius sed interpolatum, alterum multis uitiis inquinatum longe tamen sincerius est atque praestantius priore.* Prioris autem generis sunt codices *B C*[2]) (Parisini 2715 et 2717) et Vossianus Leidensis (*L*), quem Velsenus[3]) non temere Florentini *Γ* (bibliothecae Laurentianae 31, 15) ultimam partem effecisse suspicatus est, et Laurentianus *Δ* (31, 16); etenim lacunae

[1]) ad Od. pg. 1761, 21.

[2]) Dindorfianis siglis utor; non bene enim Engerus Parisinos 2715 et 2717 nominat *AB*, cum Dindorfius rectius littera *A* insigniuerit Parisinum 2712, qui Lysistrata caret, et Vossianum Leidensem Engerus insigniuit nota *V*, ut facile cum *V*(eneto) possit confundi; cf Velsen. Philol. XXIV pg. 126.

[3]) Ueber den Codex Urbinas pg. 53.

his quattuor libris manuscriptis communes sunt uersuum 62—131, 200—267, 820—890, 1098—1236, nisi quod Leidensis iam v. 1034 desinit. Posterioris uero familiae sunt R(auennas) et quem ex eo descriptum esse Engerus probabiliter docuit Augustanus. Quod in prioris generis codicibus primo loco 70, altero 68, tertio 71, quarto 139 uersus omissi sunt, id ita explicandum esse monuit in scholis Guil. Studemundus praeceptor meus, ut singulis foliis in archetypo horum codicum fere 68—70 uersus comprehensi fuerint, nonnulla autem archetypi folia casu perierint.

Legebantur igitur:		Lysistratae foliis:
vv. 1—61	=61 [1]) uersus	I°.
62—131	=70 „	II°. †
132—199	=68 „	III°.
200—267	=68 „	IV°. †
268—819	=552 i. e. 8 × 69 vv.	V°—XII°.
820—890	=71 uersus	XIII°. †
891—1097	=207 i. e. 3 × 69 vv.	XIV°, XV°, XVI°.
1098—1236	=139 i. e. 69 + 70 vv.	XVII°†, XVIII°†.
1237—1305	=69 uersus	XIX°.
1306 ad finem	=(17) „	XX°.

Ergo folia cruce notata II IV XIII XVII XVIII in archetypo codicum *BCLΔ* exciderunt. Quas archetypi lacunas optime animaduertit librarius codicis *C*, qui post v. 200 uacuum spatium paginarum quattuor et dimidiae, post v. 820 quattuor circiter plagulas, post v. 1098, etsi interciderunt tantum uersus 138, quinque paginas uacuas reliquit [3]), lacunam uero in archetypo extare post v. 62 non perspexit. Atque cum ea quam modo proposuimus computatione optime consentit, quod Velsenus coniecit Vossianum Leidensem ultimam codicis Florentini *Γ* partem effecisse, cui desunt Auium — quam fabulam exceptam olim esse in codice *Γ* a Lysistrata bibliothecae catalogus testatur hisce uerbis: „in catalogo erat hoc loco

[1]) Ergo initio primae paginae octo fere uersuum spatium erat.

[2]) Ab Engeri exemplo praecipue in canticis aliquotiens recessisse uersuum diuisionem in codice de quo agitur archetypo consentaneum est.

[3]) teste Dindorfio in adnotationibus ad Lysistratam.

Lysistrata, quae uero non inest"[1]) — ultimi uersus 1419—1764 i. e. 346, qui facile quinque folia undeseptuagenorum fere uersuum explent. Accedit quod Vesparum fragmentum, quod omissis prioribus uersibus in codice *Γ* seruatur, vv. 421—1396 i. e. 976 uersus quattuordecim foliis, quorum unumquodque 69—70 uersus contineat, comprehendi potest, et quod vv. 1—420 Vesparum in eo codice omissa simili modo sex folia eiusdem generis explere potuerunt.

Sed cum neutro codicum genere plane congruit Suidas; saepe enim illam formam exhibet, quae codicum *BCLΔ* eis locis, ubi felicibus interpolatorum coniecturis correcti sunt, propria est, aliis tamen nec raris locis integriorem R^is scripturam seruauit, compluribus denique locis propriam repraesentat scripturam. — Iam uniuscuiusque generis exempla quae contuli hic enumerabo.

§ 14.

Itaque cum codicibus *BCLΔ* Suidas consentit — neque uero ita ut semper cum uniuersis congruat; sed hic illic ad unum alterumue propius accedit, certam tamen regulam aut rationem in hac re frustra quaesiui — hisce locis:

vv.	S—*BCLΔ*:	R:
26	*ἀνεζητημένον*[2])	*ἂν ἐζητημένον*,
156	*παρενιδὼν BΔ*	*παρευ ἰδὼν*,
170	*ῥυχάχετον*	*ῥυγχάχετον*,
291	*τὼ ξύλω*	*τῶ ξύλω* (corr. ex *ξυλῶ*),
367	*πλεύμονας* S(AVC)[3])-*BLΔ* *πέλμονας* S(BE)-*C*.	*πνεύμονας*[a]),
417	*πιέζει* S(ABCE)-*BCLΔ*[4]) *πιέζοι* S(V).	*πιεζεῖ*,
448	*ἐκκοκκιῶ*[5])	*ἐκκοκιῶ*,

[1]) cf. Velsenum praef. ad Equites pg. VII adnot. 4.

[2]) litteris latius dispositis ueras probabilesque scripturas insigniui.

[3]) uncis inclusi Suidae codices.

[4]) Itaque nec Dobraei *συμπιέζει* nec Reisigii *ἐμπιέζει*, quod placuit Engero, a Suida confirmantur.

[5]) editio Mediolanensis Suidae *ἐκκωκιῶ*.

[a]) sic etiam Suidas s. gl. *Ἐξαμήσω*.

vv.	S—*BCLΔ*:	R:
458	*σκοροδοπανδοκευ* .	*σκοροπανδοκευ* . . . .,
506	*γραῦ σαυτῇ*	*γραῦς αὐτῇ,*
546	*ἔνι θράσος BL*	*ἔνι δὲ θράσος CΔ,*
549	*τηθῶν*	*τήθων,*
553	*ῥοπαλισμοὺς*	*ῥοπαλιμοὺς,*
562	*πῖλον*	*πίλον,*
577	*πιλοῦντας BL*[1])	*θλίβοντας,*
629	*οἶσι*	*οἶσιν,*
645	*ἦ*	*ἤ,*
656	*ἆρα — ἐστιν*	*ἄρα — ἐστὶν,*
700	*τῇ Ἑκάτῃ*	*τῆι κάτῃ,*
705	*τοῦ σκέλους -- τις*	*τοὺς σκέλους — τὶς,*
742	*εἰλείθυι'*	*εἰλήθυι',*
788	*ἐς*	*εἰς,*
789	*κἆτ'*	*κᾶτ',*
791	*τιν'*	*τίν',*
795	*ἡμεῖς δ'*	*ἡμεῖς τ',*
983	*κυρσάνιε*	*κυρσάνειε,*
988	*παλεός(γα)* S[2])-*BΔ*	
	παλε^ρος *L*	*πάλαι ὄργα,*
	παλαιός γα Vatic.[3])	
1038	*κἄστ'*	*κᾶστ',*
1039	*σὺν πανωλέθροισιν*	*συνπανολέθροισιν,*
1073	*ἔχοντες*	*ἔχοντας.*

Has discrepantias tam religiose enotaui ut, ubicunque Suidas cum codicibus *BCLΔ* congruat, leuissima plerumque menda in R[e] extare appareat; unum locum excipias v. 577, ubi *πιλοῦντας* cum *BCLΔ* recte Suidas seruauit, in R[e] uero ex scholio *καὶ πιλοῦντας· τοὺς θλίβοντας εἰς τὴν πολιτείαν ἑαυτοὺς* irrepsit *θλίβοντας*.

---

[1]) De codicibus reliquis nihil adnotauit Engerus.

[2]) Suidas solam uocem *παλεός* affert.

[3]) Hunc codicem non totum excussit Kusterus, sed et pauca inde attulit et ex parte fide uix digna.

§ 15.

His opponam eos locos, quibus aduersus codices *BCLΔ* Suidae lexicon cum R^e facit.

Qua in re admonendum est uersus illos 62—131, 200—267, 820—890, 1098—1236, quos ab altera illa familia codicum abesse supra dixi, apud Suidam citari, nec neglegendum est et R^i scholia uersuum 376—404 deesse nec apud Suidam ex uersibus 367—413 fragmentum ullum extare. Quamquam eiusmodi lacunae saepius apud Suidam occurrunt ueluti Ran. 326—357, 770—803, 1049—1079, 1511—1545; Pac. 1184—1226; Eccles. 1118—1157; Thesmoph. 995—1068; Eq. 1202—1233; Lys. 743—777, 855—886, 1173—1213, 1245—1293; Nub. 465—503; Au. 1022—1073; Vesp. 1—80, 508—579, 1210—1251. Praeterea grauioris momenti locis quibusdam Suidas cum R^e consentit ueluti

Versum 48 [1]) *χὴ 'γχουσα* [2]) *καὶ τὰ διαφανῆ χιτώνια* post v. 45 collocat Suidas cum R^e; fallitur enim Engerus, cum Suidam eundem atque codices *BCLΔ* ordinem uersuum exhibere adnotat.

Versuum 486 — 488 eadem apud Suidam formatio et distributio obseruatae sunt atque in R^e.

In v. 360 *ἤδη* et in v. 704 *τούτων* et a Suida et a R^e omissa sunt.

Praeterea in vv.

R et S:	*BCLΔ*:
27 *πολλαῖσι τ'* S(AV)R *πολλαῖς τ'* S(BCE)	*πολλαῖσιν,*
705 *λαβὼν ὑμᾶς τις*	*ὑμᾶς λαβών τις,*
789 *ἐλαγοθήρει* S(AVCE)R *ἐλαγωθήρει* S(B)	*ἐλαγοθήρα* [3]),
1028 *ἐκσάλευσον*	*ἐκσκάλευσον,*

---

[1]) Engeri constanter sequor uersuum ordinem.

[2]) *κήγχουσα* Suidae codices ABE, *χἤγχουσα* VC.

[3]) *ἐλαγοθήρα* probauit Bothius, *ἐλαγοθήρει* Dindorfius et Engerus, *ἐλαγωθήρει* Bekkerus, *ἐλαγωθήρα* Brunckius.

	R et S:	*BCLΔ*:
1073	*χωροῦσιν*	*χωροῦσ'*,
1244	*ἐς τοὺς Ἀσαναίως τε καὶ ἱμᾶς*	*ἐς τὼς Ἀσαναίως τε καὶ ἐς ἡμᾶς*[1]).

Propius denique accedunt ad R[is] quam ad alterius familiae scripturas hae propriae Suidae lectiones in vv.

	R et S:	*BCLΔ*:
45	*κιμβέρικ' ὀρθοστάδια* S *κιμβερινκορθοστάδια* R	*κιμμερικορθοστάδια*,
461	*παύεσθ'* S[2]) *παύσεσθ'* R	*παύσασθ'*,
616	*πλειόνων καὶ μεγίστων* S *πλειόνων καὶ μειζόνων* R	*μειζόνων καὶ πλειόνων*,
1004	*θίγειν* S *θιγῆν* R	*σίγειν BLΔ* *σιγεῖν C*[4]),
1243	*καείσω* S[3]) *καΐσω* R	*καὶ κινήσω*.

§ 16.

Restat ut eos proferam locos — et sunt sane multi in Lysistrata — quibus Suidas propriam scripturam repraesentat. Qua in re hoc est tenendum, quidquid propriarum lectionum iis inueniatur locis, quibus deficiunt codices *BCLΔ*, ad solum R[em] id referendum esse ideoque subnasci dubitationem, an leuiores scripturae discrepantiae, ubi R a uero aberrauerit, Suidae cum integro codicum *BCLΔ* archetypo communes fuerint.

Ante omnia autem mire apud Suidam tractati sunt ii uersus, qui Laconicam prae se ferunt dialectum: nam quod Engerus de codicibus *BΔ* dicit, solere eos pro Laconicis formis Atticas supponere, hoc etiam magis quadrat ad Suidam, apud

---

[1]) unde *τε κὴς ἡμὰς* posuit Brunckius probante Dindorfio.

[2]) sic etiam Augustanus.

[3]) *σιγῆν* corr. Inuernizius, probant Dindorfius et Engerus.

[4]) *κἀσείσω* restituit Brunckius ex Meursii coniectura.

quem omnes paene uoces Doricae in Atticam linguam uerti solent exceptis plerumque eis, quibus similia in dialecto Attica prorsus non reperiuntur. Cuius rei addam nonnulla exempla. Itaque v. 82 Suidas sic exhibet:

Γυμνάζομαι γε[1]*), καὶ ποτὶ*[2]*) πυγὴν ἄλλομαι.*
v. 84 *Ἥιπερ ἱερεῖον τοί μ' ὑποψαλάσσετε.*
v. 105 *Ἀλλ' ἐμός γα, κἂν ἐκ τῆς ταγᾶς ἔλθῃ πόκα*
v. 106 *πορπακισάμενος.*[3])
v. 155 *ὁ γοῦν Μενέλαος τῆς Ἑλένης τὰ μῆλα που*
v. 156 *γυμνῆς παρενιδὼν ἐξέβαλ', οἰῶ, τὸ ξίφος.*
v. 170 *τὸν τῶν Ἀθηναίων γε μὴν ῥυχάχετον*
v. 171 *τίς ἂν πείσειε μὴ πλαδδιεῖν.*
v. 988 *παλεός.*
v. 1003 *ὥσπερ λαμπροφόροι ὄντες*[4]*) ἀποκεκύφαμεν.*
v. 1004 *οὐδὲ τῶ μύρτω θίγειν*
v. 1005 *ἑῶντι πρὶν ἐξ ἑνὸς λόγου*
v. 1006 *σπονδὰς ποιησόμεθα ποττὰν Ἑλλάδα.*
v. 1164 *βλιμάττομεν.*
v. 1243 *ἵν' ἐγὼ διποδιάξω γε καείσω καλὸν*
v. 1244 *ἐς τοὺς Ἀσαναίους τε καὶ ἡμᾶς ἅμα.*
v. 1316 *παραμπυκίζεται.*

Cumque eaedem mutationes correctionesque etiam in codicibus *BΔLC* occurrant neque omnino absint a R[e], non omnia ea uitia neglegentiae librariorum, quibus codices Suidae manuscripti debentur, adscribenda uidentur. Iam si reputaueris Acharn. uersum 772 apud Suidam s. gl. *Περίδου* sic traditum esse:

Εἰ βούλει, περίδου μοι περὶ θυμητίδων ἁλῶν,

cum codices Aristophanei talem eum exhibeant:

αἰ λῇς, περίδου μοι περὶ θυματιδᾶν[5]*) ἁλῶν,*

---

[1]) *γε* hoc loco etiam R.

[2]) litteris latius dispositis insignire uelim, quas ex Dorica dialecto formas Suidas retinuerit.

[3]) sic s. gl. *Πόρπαξ*, s. gl. *Ἀλλ' ἐμός* hic uersus deprauatus extat: *Ἀλλ ἐμός γ' οὐκ ἂν ἐκτὸς ἔλθῃ πόκα πορπησάμενος.*

[4]) pro dorica forma *λυχνοφορίοντες.*

[5]) *θυμητίδαν* R *θυμητιδᾶν Γ.*

uerba *εἰ βούλει* uix neglegentia librarii cuiusdam ex *αἰ λῇς* orta esse, immo consulto a grammatico quodam scripturam traditam immutatam esse apparebit. Eodemque modo explicandae uidentur eae mutationes, quae in ceteris Acharnensium uersibus dialecto Megarensi prolatis apud Suidam obuiam fiunt, uelut in vv.

S:	Codd. Aristoph.:
738 *ἀλλ' ἔστιν ἡμῖν Μεγαρική τις μηχανή.*	*ἀλλ' ἔστιν γάρ μοι Μεγαρικά τις μαχανά.*
741 *ὅπως δὲ δόξητ' ἦμεν*[1]) *ἀγαθὰ συός*	*ὅπως δὲ δοξεῖτ' ἦμεν ἐξ ἀγαθᾶς ὑός.*
751 *διαπεινῶμεν ἀεὶ πρὸς τὸ πῦρ*	*διαπεινᾶμες ἀεὶ ποττὸ πῦρ.*
762 *οὐκ εἰσβαλεῖτε*[2]), *ὡς ἀρουραῖοι μύες*	*ὄκκ' ἐσβάλητε, τὼς ἀρωραῖοι*[a]) *μύες.*
763 *ὀρύσσετε πασσάλῳ τὰς ἄγλιθας.*	*πασσακὶ τὰς ἀγλίθας*[b]) *ἐξορύσσετε.*
786 *δελφακουμένη*	*δελφακουμένα.*
787 *ἕξει*[3]) *μεγάλην τε καὶ παχεῖαν (κέρκον)*[4])	*ἑξεῖ μεγάλαν τε καὶ παχεῖαν κἠρυθράν.*
813 *τροφαλίδος*	*προπαλίδος.*
814 *τὸ δ' ἄτερον [ἂν λῇς]*[5])	*τὸ δ' ἄτερον, αἰ λῇς.*

Quare cum eandem corruptionem uocum Laconicarum etiam in codicibus *BCL* grassatam esse appareat, sequitur ut non Suidas ipse illas mutationes perpetrauerit, uerum codex ille ex quo Suidas Aristophanea sua excerpsit, aut simili morbo afflictus fuerit atque codices *BCL* aut rarioribus formis Laconicis uulgatas Atticas habuerit superscriptas.

---

[1]) sic s. gl. *Σῦς*, at s. gl. *Ὗς*: *δόξητ' ἡμὲν ἀγαθὰ συός* (*δόξῃ τῇ μὲν* V).

[2]) *εἰ καὶ ἐκβαλεῖτε* E.

[3]) *ἥξει* teste Bernhardyo collatio Gronoviana codicis V.

[4]) *κέρκον* glossema est extra uersum ponendum.

[5]) omiserunt codices AVBE.

[a]) *ἀρουραῖοι* etiam R.

[b]) *γλίθας* R.

§ 17.

Iam in enotandis propriis Suidae scripturis primum eas ponam, quibus a solo R[e] discrepat in iis uersibus, qui absunt ab altera codicum familia *BCLΔ*; nimirum hae pro numero uersuum praestant iis discrepantiis, quae inter Suidam et uniuersos Lysistratae codices intercedunt. Itaque in vv.

	S:[1]	R:
64	*Ἑκάτειον*	*τ᾽ ἀκάτιον,*
91	*δὲ* †*	*δ᾽ αὖ,*
105	*ἀλλ᾽ ἐμὸς* †	*ὁ δ᾽ ἐμὸς,*
109	*ὀκταδάκτυλον* *	*ὀκτωδάκτυλον,*
113	*χρεῖ᾽ ᾖ* *	*χρὴ ἥ*
115	*ἐγὼ δὲ, κᾂν* †	*ἐγὼ δὲ γ᾽ ἂν, κᾂν,*
116	*δοῦναι*[2]) †	*δοῦναι ἂν,*
129	*ἐρρέτω*[3])	*ἑρπέτω,*
221	*ἁνὴρ*	*ἀνὴρ,*
223	*τὠμῷ,* s. gl. *Ἠπεροπεύειν* *τοὐμῷ* s. gl. *Κύλιξ*	*τὼ μὼ*
225	*οὐδὲ* ABVE } † *εἰ δὲ* C }	*ἐὰν δὲ,*
229	*ἀντενῶ* A * } *ἀτενῶ* BV*E* † }	*ἀνατενῶ*[a]),
231	*λέαιν᾽*	*λέαινα* †,
231	*τυροκνήστιδος* s. gl. *Κύλιξ* *τυροκνήστιδι* s. gl. *Λέαινα*	*τυρυκνήστιδος,*
235	*ἐμπλησθῇ*	*ἐμπλησθῆ,*
247	*ξυμβοηθήσειν*	*ξυνβοηθήσειν,*

[1]) Verae probabilesue aut Suidae aut R[is] scripturae latius impressae sunt; cruce insigniui eas, quae metro obuersantur, asterisco eas, de quibus paulo infra pauca addenda sunt.

[2]) *ἂν* recte additum est in codd. BV.

[3]) cf. Eq. 670.

[a]) Suidae C item *ἀνατενῶ*.

S:	R:
264 δὲ καὶ κλήθροισιν * omisit	habet,
839 σὸν ἔργον ἐστὶ τοῦτ' — τρέφειν †	σὸν ἔργον εἴη[a]) τοῦτον, — στρέφειν,
840 καὶ φιλεῖν καὶ μὴ φιλεῖν omiss. *	non item,
844 ξυσταθεύσω	ξυνσταθεύσω,
855 αἰεὶ	ἀεὶ,
856 ᾠὸν	ᾠιὸν,
857 φησί †	φησίν,
1100 αἰθέκαστα	αὖθ' ἕκαστα
1111 κοινῇ	κονῇ †,
1124 μοῦσα *	νοῦς,
1127 ἀκούσασ'	ἀκούσας,
1128 λοιδορεῖσθαι	λοιδορῆσαι,
1129 οἳ	οἱ,
1150 οἶσθ' AE pr. m.[1])	ἴσθ',
1151 κατωνάκης ACV κατωνάκτας BE †	κατωνάκας,
1153 ἑταίρους	ἑτέρους †
1153 Ἱππίᾳ AC / Ἱππίαν BE / Ἱππείαν V *	ἱππίους.

Leuia igitur peccata R[is] absunt a Suida in vv. 221 223 231 bis 287 844 1110 1111 1127 1129 1153; contra aperta uitia extant apud Suidam in vv. 91 115 116 129 217 225 839 857 1128.

In v. 91 talis uersus forma, qualem tradit Suidas: *χαΐα μέν ἐστι, Κορινθία δὲ* inde orta est, quod primum *μὲν*[2]) — *δὲ* ex glossemate interlineari irrepserunt, id quod docet scholium codicis R[is] *χαΐα· ἀντὶ τοῦ ἀγαθὴ μὲν Κορινθία*

---

[1]) BCV ut R *ἴσθ'*, Iuntina uero *οἶσθ'*.

[2]) *μὲν* etiam R exhibet (teste Velseno), deleuerunt Dindorfius Bothius Engerus.

[a]) *ἤδη* auctore Dobraeo probant Dindorfius et Engerus.

δὲ, quod apud Suidam ipsum decurtatum legitur *χαΐα, ἀντὶ ἀγαθή*; tum Suidas sua sponte addidit *ἐστὶν*, ut integram efficeret sententiam.

In v. 109 *ὀκταδάκτυλον* formam cum Suida Plauorinus tuetur, Bentleius Aristophani uindicauit probauitque Brunckius; Elmsleius uero ad Euripidis Medeam (1150) pag. 256 et Lobeckius ad Phrynichum pag. 415 *ὀκτωδάκτυλον* formam praeferendam esse iure monuerunt. In v. 113 Suidae *χρεῖ' ἦ* ad ueram scripturam *χρείη*, quam restituit Dawesius[1]), propius accedit quam *χρὴ ἦ* R[is].

In v. 229 *ἀντενῶ* codicis A Suidae, quod idem sine dubio latet in *ἀτενῶ* codicum VBE, uix praeferendum est R[is] *ἀνατενῶ*. Eiusmodi enim formae syncopatae non occurrunt apud Aristophanem nisi Acharn. 766 *ἄντεινον*, 796 *ἀμπεπαρμένον* et Lysistr. 106 *ἀμπτάμενος*, ubi comicus dialecto Dorica usus est, Ran. 1477: *τίς οἶδεν, εἰ τὸ ζῆν μέν ἐστι κατθανεῖν*, quem uersum parodiae causa comicus ex Euripidis Polyido mutuatus est, Pac. v. 1299 *κάλλιπον*, qui est uersus Archilochi (Bergk frgm. 6); [apud Pherecratem, fab. incert. fragm. XXII (apud Meinekium II, 347), legitur *ἄγχασκε : ἀντὶ τοῦ ἀνάχασκε. οὕτω Φερεκράτης*[2]) et in Amipsiae Moechis (apud Meinekium II, 706) *καββαλών*.]

Versuum 264 265 Suidas s. gl. *Πακτοῦν* non laudat nisi haec uerba Aristophanea *μοχλοῖσι τὰ προπύλαια πακτοῦν*, quo, qui Suidae nimium tribuat auctoritatis, confirmari facile putet coniecturam Reisigii, qui pro *μοχλοῖσιν δὲ καὶ κλήθροισιν* R[is] scribi uoluit *κλήθροισι δ' εὖ καὶ μοχλοῖσι*.

In v. 840 quod ultima uerba *καὶ φιλεῖν καὶ μὴ φιλεῖν* apud Suidam non leguntur — citantur autem continui vv. 839 840 841 — hoc mire consentit cum scholio huic loco adiuncto: *παραλογίζεσθαι καὶ τὰ τούτοις ἐπακολουθοῦντα*[3]) *πλὴν ὧν συνωμοσάμεθα μὴ ποιεῖν*[4]), *τουτέστι συνουσιάζειν*; apparet enim uoce *παραλογίζεσθαι* explicari *ἐξηπεροπεύειν*

---

[1]) Miscell. crit. pg. 271.
[2]) Bekker. Anecdota pg. 340, 22.
[3]) *καὶ τὰ ταύτῃ παρακολουθοῦντα* schol. R[is].
[4]) *ἐπὶ τῆς κύλικος* additum est apud Suidam.

contextus uerbis, καὶ τὰ τούτοις ἐπακολουθοῦντα πλὴν ὧν συνωμοσάμεθα μὴ ποιεῖν circumscribi uersum 841 καὶ πάνθ' ὑπέχειν, πλὴν ὧν σύνοιδεν ἡ κύλιξ, denique τουτέστιν συνουσιάζειν nouum interpretamentum, quod ad eundem uersum 841 pertineat. Ergo deest, quo pronomen τούτοις referatur, neque dubium uidetur, quin post παραλογίζεσθαι in scholio lacuna sit statuenda et interciderit explicatio uerborum καὶ φιλεῖν καὶ μὴ φιλεῖν.

In v. 1124 Suidae lectio μοῦσα δ' ἔνεστί μοι adeo placuit Porsono [1]), ut μοῦσα δ' ἔστι μοι Aristophani uindicaret. Videtur tamen illud μοῦσα ex v. 1127 μεμούσωμαι irrepsisse, praesertim cum propter hanc ipsam uocem μεμούσωμαι uersus 1124—1127 a Suida s. gl. Μουσωθῆναι citati sint. Accedit quod exemplis, quae affert Reisigius [2]), Acharn. 556 νοῦς ἄρ' ὑμῖν οὐκ ἔνι; Eccles. 850 ἤν γ' ἐκείναις νοῦς ἐνῇ, Eurip. Andr. 230 τέκν', ὅσοις ἔνεστι νοῦς, eiusdem fabulae 668 σοὶ δ' ἔνεστι νοῦς, Hippol. 920 οἷσιν οὐκ ἔνεστι νοῦς, Sophocl. Electr. 1328 νοῦς ἔνεστιν οὔτις ὑμῖν ἐγγενής, R^is scriptura νοῦς δ' ἔνεστί μοι confirmatur.

In v. 1153 ἑταίρους Florens Christianus pro ἑτέρους R^is flagitante metro correxit.

In eodem uersu ex Suidae codicum scripturis ἱππίᾳ (AC), ἱππείαν (V), ἱππίαν (BE) Kusterus Ἱππία genetiuum Doricum quem uocant Aristophani restituendum putauit collato Pac. 640, ubi pro Βρασίδου codicum Aristophaneorum Suidas exhibet Βρασίδα quod placuit editoribus praeter Bergkium et Richterum [3]). At quoniam Pac. 640 duo tantum codices Suidani VB Βρασίδα, E Βρασίδου (α superscr.), AC optimae notae Βρασίδου exhibeat, in codicibus VB uero Βρασίδα propter τὰ quod proxime praecedit uitiose exaratum esse uerisimilius est, denique teste Kuehnero [4]) poetae tragici et Aristophanes genetiuo

[1]) ad Eurip. Med. 1079.

[2]) Coniectt. pg. 249.

[3]) Dindorfius in uersu ipso Βρασίδα posuit, in adnotationibus ad Pacis et Lysistratae uersus Βρασίδου reuocari iussit.

[4]) Gramm. Graec. I² pg. 302, 7.

Dorico in *α* exeunte nisi in canticis non utuntur, etiam hoc loco *Ἱππίου*, quod in R[e] propter homoeoteleuton in *ἱππίους* abiit, retinendum est.

§ 18.

Iam in proferendis propriis Suidae scripturis difficile est diiudicatu quas corruptelas librariorum codicum Suidanorum incuriae, quas Suidae ipsius temeritati, quas denique codicis illius prauitati adnumeremus, quem in excerpendis fabulis Aristophaneis lexicographus in usum uocauit. Codices enim Suidani multifariam inter se differunt, ut modo unus alterue ex iis genuinam Aristophanis scripturam retinuerit [1]), modo omnes uario modo peccauerint [2]); atque adeo in archetypo codicum nostrorum Suidanorum esse erratum uidemus in

vv. 13 *αὐτοῖς* pro *αὐταῖς*,
138 *ἐτῶς* pro *ἐτὸς*,
353 *θύρασι* pro *θύρασιν*,
475 *κἀρεθίζει* pro *κἀρεθίζῃ*,
544 *οἷς* pro *αἷς*,
660 *δοκῶ* pro *δοκεῖ*,
682 *μὴ* pro *νὴ*,
737 *ἀμόργην* pro *ἀμόργιν*,
791 *εἶχε* pro *εἶχεν*,
974 *τύφῳ* pro *τυφῷ*,
1037 *καὶ ἐστὲ* pro *ὡς ἐστὲ*.

Quamquam non negauerim haec et similia leuioris momenti uitia eodem iure codici illi XI fabularum Aristophanearum, quem Suidas in componendis schedis suis adhibuerit, posse imputari; at quoniam etiam in codicibus Graecis XIII[i] XIV[i] XV[i] saeculorum, ad quae Suidae libri manuscripti pertinent, eiusmodi corruptelae, quales modo attuli, saepissime occurrunt, nescio an haec uitia librariis lexici Suidani attribui possint.

[1]) uelut v. 459 *ἀρήξετε* recte A, *ἀρήχετε* CVBE ‖ v. 553 *ἐντέξῃ* recte A, *ἐντεύξῃ* CVBE ‖ v. 1092 *Κλεισθένη* recte A, *Κλεισθένην* VBE, *Κλεισθένει* C.

[2]) uelut v. 361 *ἂν οὐκ εἶχον* ABE, *γὰρ οὐκ εἶχον* VC, falso pro *ἂν οὐκ ἂν εἶχον* ‖ v. 549 *ἀκαλήφων* ACVE, *ἀκαλήφρων* B pro *ἀκαληφῶν* ‖ v. 1091 *διαλλάξῃ* AC, *διαλλάξαι* VBE pro *διαλλάξει*.

Longum autem est inter uoluntarias Suidae mutationes enumerare, ubi omissis nonnullis uoculis decurtatum uersum in schedas suas receperit[1]): luculenter tamen Suidam suo Marte mutantem deprehendas in v. 1092 *ὅπως μὴ* ex *ὅπως οὐ*.

Saepissime uero glossae interlineares uel a Suida uel a librario eius quo Suidas usus est codicis pro genuinis Aristophanis uerbis descriptae sunt, ueluti in

vv. 452—454 *γνώσεσθ'*
ὅτι καὶ παρ' ἡμῖν εἰσι λόχοι δ'
μαχίμων ἀνδρῶν ἔνδον ἐξωπλισμένων

uox *ἀνδρῶν* pro *γυναικῶν* debetur scholio, unde Suidas hos uersus desumpsit, ad Acharn. 1073: *Ἔνιοι μὲν τὸ ἐξ ἀνδρῶν ὀκτὼ σύστημα, οἱ δὲ τὸ ἐξ ἀνδρῶν δώδεκα, οἱ δὲ τὸ ἀπὸ ἑκκαίδεκα ἀνδρῶν πλῆθος . . . . ὡς ἀλλαχοῦ Ἀριστοφάνης· γνώσεσθ' ὅτι κτλ.*

Atque in vv. 896 897

Διαφορουμένης τῆς κρόκης ὑπὸ τῶν ἀλεκτρυόνων,

qui uersus in codicibus Aristophanis sic leguntur:

ὀλίγον μέλει σοι τῆς κρόκης φορουμένης
ὑπὸ τῶν ἀλεκτρυόνων;

uox *διαφορουμένης* interpretamentum esse interlineare uocis *φορουμένης* docet scholium R[is] *τῆς κρόκης φορουμένης· διαφορουμένης, διασπωμένης,* qua ex explicatione interpretamentum *διασπωμένης* Suidas ipse in adnotatione retinuit.

Item in v. 1082:

καὶ μὴν ὁρῶ τοὺς Ἀθηναίους

glossema interlineare *τοὺς Ἀθηναίους* genuinam scripturam *τούςδε τοὺς αὐτόχθονας* loco mouit.

Neque aliter in v. 743 Suidae *ἀπέλθω* pro *μόλω 'γὼ* codicum Aristophaneorum glossa est interlinearis, etsi Bentleius *ἐγὼ* inutile esse ratus nec habere cui opponeretur, ex Suidae codicum V[i] et Oxon., qui *ἀπέλθῃ* praebent, memoria *ἀπέλθω,* quod re uera codices ACBE tuentur, h. l. scribendum esse monuit.

[1]) ueluti v. 14 omisit *βουλομέναισιν*, 56 *ὦ μέλ'*, 899 *χρόνον τοσοῦτον*.

Simili modo Suidas uicina aliqua uocula abductus errauit in v. 139: *Οὐδὲν γάρ εἰσι πλὴν Ποσειδῶν καὶ σκάφη*, ubi uox *εἰσι* pro *ἐσμὲν* uersui praecedenti debetur.

Item in v. 688 *ἵν' ὄζωμεν*, uox *ἵνα* pro *ὡς ἂν* ex uersu qui proxime sequitur: *νῦν πρὸς ἔμ' ἴτω τις, ἵνα κτλ.* transmigrauit.

Etiam in vv. 795 796

ἡμεῖς δ' οὐδὲν ἧττον
τοῦ Μελανίωνος σωφρονέστεροι

σωφρονέστεροι pro *οἱ σώφρονες* ex glossa ortum est, qua uerba *οὐδὲν ἧττον οἱ σώφρονες* quispiam circumscribere conabatur.

Denique afferendae sunt eae scripturae uariae, quas Suidam in ipso eo, quo utebatur, codice fabularum Aristophanearum inuenisse uerisimile est.

Ac primum quidem Suidas genuinam Aristophanis scripturam retinuit in v. 694 *ἀετὸν* et in v. 701 *ἑταίραν*.

Tum vv. 543—548 anapaesticos Reisigius [1]) Suida *grauissimo teste* usus sic restitui iussit:

ἐθέλω δ' ἐπὶ πᾶν
ἰέναι μετὰ τῶνδέ γε [2]) *τῆς* [3]) *ἀρετῆς*
ἕνεχ' αἷς ἔνι φύσις,
ἔνι θράσος [4]), *ἔνι δὲ σοφόν, ἔνι δὲ* [5]) *φιλόπολις*
ἀρετὴ φρόνιμος.

Omisit igitur Reisigius testibus Suida Zonara [6]) Phauorino *ἔνι χάρις* ante *ἔνι θράσος* in codicibus Aristophaneis positum; idem placuit Westphalio [7]) et H. Schmidtio [8]), non item Hermanno [9]) Dindorfio Engero.

[1]) Coniectt. pg. 202.
[2]) *τῶνδ'* S.
[3]) *τῆς* add. Reisigius.
[4]) *ἔνι θράσος* deest V.
[5]) *δὲ* apud Suidam ante *θράσος* collocatum est.
[6]) I pg. 748.
[7]) de re metr. II² 438.
[8]) de metrorum compositione pg. CCXIV.
[9]) Elemm. doctr. metr. 383.

In v. 549 *ἀνδρειοτάτη* ex Athenaeo[1]) Suida Eustathio[2]) auctore Reisigio pro *ἀνδρειοτάτων* codicum Aristophaneorum restitutum est.

Versuum 704 705 Suidas duas exhibet formas, alteram s. gl. *Ψηφοφορία*

Κοὐχὶ μὴ παύσησθε τῶν ψηφισμάτων πρὶν ἂν
τοῦ σκέλους λαβὼν ὑμᾶς τις ἐκτράχηλίσῃ θέλων[3]).

Omissum ergo erat ut in R[e] sic in Suidae libro manuscripto *τούτων*, et *λαβὼν ὑμᾶς τις*[4]) pariter atque in R[e] exaratum erat. Ex scriptura *θέλων* autem Bentleius *θένων* efficiendum esse monuit, quod cum ad huius cantici ingenium melius quadrare uideretur quam mitis illa uox *φέρων* codicum, et probatum est Porsono et receptum a Bothio nec non Engero arrisit. Altera autem horum uersuum forma

οὐ μὴ παύσησθε τῶν ψηφισμάτων, πρὶν ἂν
ὑμᾶς τοῦ σκέλους λαβών τις ἐκτραχηλίσῃ,

quorum uerborum principio trimetrum iambicum lexicographus affectasse uidetur, simul luculentissime apparet, quanta libidine quantaque incuria Suidas poetae comici uersus in schedas transsumpserit et in condendo lexico tractauerit.

His igitur exemplis ex Lysistrata, cuius fabulae omnino uersus 274 h. e. quinta fere totius comoediae pars citantur, prolatis et collatis scripturis Suidanis cum codicum generibus R et *BCLΔ* uidemus ad neutram codicum familiam eas esse referendas, sed ut in Equitibus probare conati sumus, singularis codicum familiae quasi specimen fuisse Suidae codicem XI fabularum Aristophanis, quamuis in Lysistrata Suidanae lectiones propius a R[e] quam a *BCLΔ* absint.

---

[1]) lib. III, pg. 90.

[2]) ad Od. pg. 1485, 40.

[3]) *ἐκτραχηλίσαι θέλων* CBE.

[4]) haec scriptura pro *ὑμᾶς λαβών τις* codicum *BCL* probata Bentleio Porsono Dobraeo confirmatur antistropha (681) *ἐγκαθαρμόσαι λαβόντας τουτονὶ τὸν αὐχένα.*

LIBER POSTERIOR.

§ 19.

Quoniam habemus quantum ex Suidae lexico cum codicibus Aristophaneis comparato ad trium quas tractauimus fabularum contextum emendandum redundare possit, nunc uideamus quae fuerit scholiorum apud Suidam uersibus Aristophaneis adscriptorum origo quantumque discrepent ab iis, quae in codicibus, ex quibus quidem scholia innotuerunt, Aristophaneis adseruantur.

De ueterum autem in Aristophanem scholiorum fontibus egregie quaesiuit O. Schneiderus: is argumentis maxime commotus, quae petiuit ex schol. Plut. 1037 *ἐν δὲ τῷ ὑπομνήματι οὕτως,* schol. Paç. 757 *οὕτως εὗρον ἐν ὑπομνήματι,* et ex Eustathii [1]) loco: *τὸ δὲ χαίρετον ἀρχαιοτάτη φιλικὴ προσφώνησις, ἐπιστολιμαῖός τε καὶ ἑτερoία, ὡς καὶ ὁ κωμικὸς καὶ ὁ κατ' αὐτὸν ὑπομνηματισμὸς ἐν τῷ Πλούτῳ δηλοῖ,* unum fuisse commentarium praecipuum scholiorum nostrorum fontem, cuius auctorem Symmachum esse uult, eumque uetustiorum quidem scholiorum unicum fontem esse argumentis probare conatus est (pag. 9). At quam infirma essent, quae protulit uir doctissimus ad stabiliendam suam sententiam, primus docuit Dindorfius in Addendis ad scholiorum uol. I pag. 388 sqq., mox Schneideri sententiam refutauit O. Gerhardus in libelli quem de Aristarcho Aristophanis interprete scite et diligenter scripsit (Bonnae 1850) capite primo; is *τὰ ὑπομνήματα* uel *ἔνια τῶν ὑπομνημάτων,* quae plurali numero citantur [2]), demonstrauit Schneiderum falso existimauisse eadem esse, quae

[1]) ad Il. pg. 1483, 32.

[2]) schol. Vesp. 542 962, Au. 1075 284 557 282 1242 Plut. 385; cf. Dindorf. Addend. pg. 389 c.

a uetustioribus grammaticis condita et a Symmacho ipso adhibita essent ad commentarium suum conficiendum, immo ea significari, quae a recentioribus scholiastis exscripta et in libros manuscriptos Aristophaneos essent translata. Etenim simplici ὑπομνήματος uel ὑπομνημάτων nomine eas appellari docuit Gerhardus interpretationum collectiones, quas auctorum nominibus carentes in scholiorum farragine condenda adhibuissent scholiastae. Neque tamen iudicium amplectemur Stoeckeri[1]), qui *haud*, inquit, *improbabile sit iam tum* — scilicet paullo post Aristophanem mortuum uel ipsis poetae temporibus — *Aristophanis comoediis scholia quaedam adscripta fuisse, ubi uideres* (sic) *habuisse eas lectores, qui exegesin aliquam non poterant non desiderare. Praesertim quia nostris, quibus hodie uteremur, scholiorum codicibus, multa continerentur de hominibus alioquin obscuris narrata, quae nisi iam ipsis poetae temporibus singulis comoediarum locis addita essent, nunquam nostram aetatem uidisse diceres.*

Non male uero Gerhardus dicit interpretationum collectiones Byzantinorum[2]) certe temporibus extitisse; unde cum scholiastae et qui in codicibus dictandis scribendisue operam collocabant, quod quisque adnotatione dignum esse existimabat, expromerent et in libris suis adscriberent, factum est, ut alii se continerent excerpendo et describendo eas ipsas interpretationum collectiones, alii ex sua quisque doctrina et litterarum cognitione uel ex magistrorum in scholis Aristophanem explicantium dictatis, si quid poetae comico lucem afferre putarent, adicerent; hinc ineptiae illae ac iudicii peruersitate insignes adnotatiunculae, quae Byzantinorum doctrinam redolentes in omnibus quorum notitiam habemus codicibus reperiuntur praeter Rauennatem, qui

[1]) in libello de Sophocl. et Aristoph. interpretibus Graecis pg. 1 2.

[2]) Constat sub Constantino Porphyrogenneto et ab imperatore ipso et a uiris doctis CPolitanis ingens corpus uniuersarum litterarum Graecarum excerptis undelibet desumptis confectum esse, unde posterioris aetatis Graeculi doctrinam suam hauserint. cf. Bernhardyum Hist. Litt. Graec. I⁴ 708 sqq. et eiusdem Commentt. de Suidae lexico pg. XLVIII: *nec dubitare patitur scholiorum corporis Dindorfiani et Suidae comparatio, quin illis Byzantinorum temporibus haec ipsa commentariorum Aristophaneorum forma tanquam perfecta ualuerit.*

a librario quodam exaratus uidetur esse, qui cum de sua doctrina quicquam adicere nollet, sola ea, quae in commentariis supra memoratis collecta inuenit, in librum suum transtulit. —

Quoniam autem uidimus Suidae quoque librum quendam manuscriptum praesto fuisse, non in ea quaestione uersabimur, quid ex Suidae adnotationibus ad grammaticos Alexandrinos, Callimachum, Eratosthenem, Aristophanem Byzantium, Lycophrontem, Didymum, Symmachum, Phaïnum sit referendum et quid singulis ex his sit adtribuendum, sed utrum ea quoque scholia, quae Suidas ex codice fabularum Aristophanearum hausta in lexicon suum transtulerit, Byzantinorum additamentis inquinata fuerint necne, tum quantum ex uetustiorum scholiorum thesauro in Suidae lexico seruatum sit, et num scholiorum forma a codicibus Aristophaneis ex quibus scholia innotuerunt discrepet, denique num recte iudicarit Bernhardyus cum diceret[1]: „*Endlich las Suidas den so redigirten Stamm guter Scholien in einem reineren Exemplar, welches nicht selten auch vollständiger war.*"

CAPVT PRIMVM.

§ 20.

Suidam usum esse codice Aristophaneo scholiis instructo praeter illud *Σχο.* glossae *Βληχωνία,* ubi agitur de Pacis vv. 710—712, praefixum docent imprimis ei loci, quibus ex scholio adscripto singula uerba in textum irrepserunt; cuius rei exempla ex Equitibus et Lysistrata supra adnotaui. Erant hae sane glossae interlineares. Nec defuisse glossas marginales quae uocantur codici ei quem Suidas in excerpendis fabulis Aristophaneis adhibuit innumerabilibus fere comprobatur locis, quibus longiores explicationes uersibus Aristophaneis subiciuntur, quae eaedem ad uerbum in eis codicibus leguntur, ex quibus scholia collegit et disposuit G. Dindorfius. Caret autem Suidae citandi modus non raro certa ratione firmoque consilio, utpote qui tum uni glossae cohor-

[1]) Hist. Litt. Graec. II³ 2, 674.

tem uersuum, quibus nulla cum lemmate proposito cognatio est, subiungat[1]), tum solos afferat uersus poetae omni explicatione carentes, tum ad unius uersus frustulum copiosas subiciat explicationes ad complurium uersuum complexionem pertinentes[2]). Recte enim Bernhardyus in commentt. de Suidae lexico pg. XLVII: *Itaque scholia,* inquit, *hoc est siluam inconditam ac multis saeculis aggestam, ut inuenerat, Suidas bona fide repetiit, nec raro digitos magis quam iudicium secutus plura describit, quam lemma locique interpretatio postulet,* et Kusterus ad gl. *Εἰμένος: Hic et saepe,* ait, *iudicium compilatoris requiro qui multa auctorum loca lexico suo inseruit, non res et sensum sed tantum seriem litterarum spectans."* Qua citandi et adnotandi inconstantia fit ut nonnunquam incertum maneat, num Suidas totum, quod in codice suo Aristophaneo adnotatum erat, scholium transsumpserit, et ut, quae fuerit uniuersa in Suidae codice scholiorum copia quaeque eorundem forma nisi adumbrando depingere non possis. Accedit huc quod sub una eademque glossa haud raro complures loci ex uariis scriptoribus, poetis oratoribus historicis aliis desumpti coniunguntur et inter sese particulis *καὶ αὖθις, ὡς καὶ* similibus ita conectuntur, ut solida aliquo modo compositio eueniat. Talia igitur additamenta cum a scholiorum Aristophaneorum corpore prorsus abhorreant, ab hac quaestione sedulo segreganda sunt.

---

1) uelut s. gl. *Σοῦ,* quo epiphonemate uolucres *ἀποσοβοῦνται*, ut cum scholiasta (ad Vesp. 209) loquar, leguntur Thesmoph. vv. 177—180, in quibus illud *σοῦ* omnino non exstat, immo qui sub glossa aliqua *Σοφοῦ* inserendi sunt.

2) uelut s. gl. *Λείβεται* ad Eq. v. 327 adicitur adnotatio, quae ad vv. 326 327 pertinet; s. gl. *Εἰμένος,* ubi citantur Eq. vv. 1276—1279, in fine adduntur: *ὁ δὲ Ἀριφράδης παρὰ φύσιν ἠσέλγαινε ταῖς γυναιξίν,* cum Ariphradis mentio fiat demum in v. 1281; denique ad Eq. v. 1310 s. gl. *Εἴπερ ἐκ πεύκης κτλ.* legitur explicatio, quae ad vv. 1301 1302 pertinet: *Σωματοποιεῖ γὰρ τὰς ναῦς, καὶ τὰς παλαιὰς καλεῖ γραίας, τὰς δὲ μὴ πλευσάσας παρθένους.*

CAPVT ALTERVM.

§ 21.

Priusquam autem scholia Suidana cum eis codicibus Aristophaneis, ex quibus scholia innotuerunt, comparemus, quae inter Suidam et ceteros lexicographos maximeque Hesychium, Photium, Zonaram ratio intercedat, paucis explicandum erit.

Ac primum quidem de Zonara iure ac merito Bernhardyus [1]) exagitauit Tittmannum, quod *duobus uoluminibus Zonaram nobis uenditasset, qui nullus unquam exstitisset, nedum a Suida describi posset.* Quod quamquam non aperte contendit Tittmannus, Suidam Zonarae lexicon partim descripsisse [2]), probabile tamen ei uidetur, *utrumque ex eisdem fontibus hausisse, Suidae autem lexicon, quale quidem nunc habemus, e Zonara postea interpolatum esse locis plurimis.* [3]) Immo Zonaram uel eum, qui lexicon illud Zonarae nomine ornatum compilauerit, ipsius Suidae thesauro usum esse paucis illustrem exemplis:

Equitum vv. 989—991 sic exhibent:

Suidas s. gl. *Δωριστί*	Zonaras I 592
Τὴν Δωριστὶ μόνην ἁρμονίαν ἁρμόττεσθαι θάμα τὴν λύραν, ἄλλην δ' οὐκ ἐθέλειν λαβεῖν.	*τὴν Δωριστὶ μόνην ἁρμονίαν ἁρμόττεσθαι θαυμαστὴν λύραν ἄλλην δ' οὐκ ἐθέλειν λαβεῖν.*

Singulares Suidae scripturas, *ἁρμονίαν* additum et *λαβεῖν* pro *μαθεῖν* exaratum, Zonaras quoque tuetur et uitium insuper addidit *θαυμαστὴν* pro *θάμα τὴν*.

Tum in adnotatione ad Eq. vv. 103 104 leguntur

apud Suidam:	apud Zonaram I 813:
Ἐπίπαστα τὰ ἐπιπασσόμενα (*ἐπιπλασσόμενα* AV) *τῷ σώματι ἄλφιτα. ἔθος γὰρ εἶχον ποιεῖν πλα-*	*Ἐπίπαστα τὰ ἐπιπλασσόμενα τῷ σώματι ἄλφιτα. ἔθος γὰρ εἶχον κτλ.*

[1]) in Commentt. de Suidae lexico cap. I 4.

[2]) quod uidebatur Valckenario ad Theocrit. p. 297.

[3]) Prolegomm. ad Zonaram pg. LIII.

κοῦντας ἢ ἄρτους, καὶ ἐπιπάσσειν τινὰ καρυκεύματα ἢ ἁλμυρά. καὶ ἐκ τούτου ἠναγκάζοντο πίνειν πολλά.	*πιεῖν πολλά.*

His opponam scholia ea quae ad h. l. leguntur

in V^o Θ^o:	in R°:
τὰ ἐπιπασσόμενα ἔτνει ἄλευρα. ἔτνος δέ, ἣν ἀθάραν ἔλεγον. καὶ τὸ πίσινον ἕψημα. τὰ δὲ ἄλφιτα δημοσίᾳ πιπράσκεται. ἔθος δὲ εἶχον ποιεῖν πλακοῦντας ἢ ἄρτους καὶ ἐπιπάσσειν τινὰ καρυκεύματα ἁλμυρά.	*τὰ ἐπιπασσόμενα μέλιτι ἄλευρα.* reliqua non leguntur in R°.

Zonaras igitur hoc scholium et eodem modo uitiatum, scilicet admisso *σώματι* pro *μέλιτι* — in V^o Θ^o alio uitio *ἔτνει* ex uerbis sequentibus irrepsit — et eodem modo in fine auctum tradit atque Suidas; iam cum magis uitiatam scripturam *ἐπιπλασσόμενα* codicum AV Suidae Zonaras quoque subministret, apparet ex codice aliquo Suidano AV simillimo Zonarae doctrinam fluxisse.

Addo complures Equitum locos, quibus ad uerbum fere Zonaras cum Suida consentit, quamuis in scholiis Aristophanis eadem uel similia non extent, ueluti ad Equit. v. 105:

S:	Zonaras I 606:
Ἐγκάναξον· ἔνσεισον, προσένεγκε, ἔγχεον, πεποίηται δὲ ἡ λέξις. Ἀριστοφάνης· Ἴθι νῦν ἄκρατον ἐγκάναξόν μοι πολύν. ἕλκυσον ἐκρόφησον, ἔκπιε.	*Ἐγκανάξαι. ἐνσεῖσαι, ἐγχέαι. πεποίηται δὲ ἡ λέξις. Ἀριστοφάνης· Ἴθι νῦν ἄκρατον ἐγκάναξόν μοι πολύν. ἕλκυσον ἐκρόφησον, ἔκπιε.*

Ad v. 152 a Suida et a Zonara I 683 in fine adnotationis ad explicandam uocem *ἐλεὸς* additum est: . . . *ἔστι δὲ ἐλεὸς καὶ εἶδος ὀρνέου.*

Ad v. 182 a Suida s. gl. *Ἀξιῶ* et a Zonara I 230 praeter scholium codicum Aristophaneorum haec traduntur: *σημαίνει δὲ καὶ τὸ ἱκετεύω.*

Ad v. 311 Suidas s. gl. Ἀνακεκώφηκας et Zonaras I 199 pleniorem subministrant scholii formam: ἀνεπλήρωσας βοῆς, τὰς ἀκοὰς ἡμῶν κωφὰς εἰργάσω.

Ad v. 625 uoci Ἱέμην a Suida (uide glossam) et a Zonara II 1094 additur explicatio ἐπορευόμην, quae deest codicibus nostris Aristophaneis.

Ad v. 709 Suidas s. gl. Ἀπονυχιῶ, Zonaras I 268 post scholium a codicibus Aristophaneis quoque seruatum addunt ἀπονυχίσαι μᾶλλον λέγουσιν, ἢ ὀνυχίσαι.

Ad v. 1115 et Suidas s. gl. Εὐπαράγωγος et Zonaras I 901 suppeditant explicationem εὐπειθής.

Praeterea confer gl. Ἰατταταιάξ ad Eq. 1 cum Zon. II 1083 || gl. Ἐριώλη ad Eq. 511 cum Zon. I 866 || gl. Θαλαττοκοπεῖς ad Eq. 830 cum Zon. I 1024 || gl. Ἀπαρυστέον ad Eq. 921 cum Zon. I 257 || gl. Ἠλιθιάζω ad Eq. 1124 cum Zon. I 988 et alibi passim.

Videntur autem eae quas modo attuli breues glossae interlineares fuisse, quas Suidas ex codice fabularum Aristophanearum una cum uersibus Aristophaneis in thesaurum suum transsumpsit, postea uero Zonaras cum reliqua farragine Suidana in lexicon suum transmigrare iussit. Qua in re mirum certe est, quod nisi ex uocibus a litteris *Α — Θ* incipientibus — scilicet secundum litterarum ordinem Suidanum etiam apud Zonaram littera ι praecedit litterae θ[1]) — glossae Zonarae e Suidae lexico desumptae obuiam non fiunt; quod si casui tribuas, non repugnem; fortasse tamen licet conicere, ex priore tantum Suidae lexici parte Zonaram glossas excerpsisse.

§ 22.

Quod cum Photio compluribus locis Suidas consentit, hoc ita uidebitur explicandum esse, quantum ex excerptis Aristophaneis cognoscere licet, ut uterque ex communi fonte hauserit. Neque enim adsentiar Nabero dicenti[2]) *quod adeo pertineat ad interpretationem comicorum poetarum, Platonis, Thucydidis, aliorum, haec igitur omnia cum* (i. e. Suidam) *Photio*

[1]) uide supra pg. 36 adnot. 1.

[2]) in editione Photii lexici pg. 166.

debere; concedit enim ipse Naberus Suidam sua *undique corrasisse ex scholiastis, ad Aristophanem potissimum* uel, quod malim, ex codice Aristophaneo scholiis satis copiosis instructo.

At ne breuiores quidem glossas, quae apud Photium et apud Suidam reperiuntur desiderantur uero in codicibus nostris Aristophaneis, a Suida ex illo desumptas esse putem; quod quidem apparere uidetur ex gl. Ἤνυστρον ad Eq. 356, ubi

Suidas:	Photius:
τὸ παχὺ μέρος τῆς κοιλίας ἐν ἐντέρῳ· εἰς τρία γὰρ τέτμηται ἡ γαστήρ· ἤνυστρον, ἐχῖνον, κεκρύφαλον.	τὸ παχυμερὲς τῆς κοιλίας ἔντερον· ὧν εἰς τρία τέτμηται ἡ γαστήρ· ἤνυστρον, ἐχῖνον, κεκρύφαλον.

Atqui elucet ex Hesychio: ἤνυστρα[ι] αἱ κοιλίαι τῶν βοῶν, ἢ τὸ παχὺ μέρος αὐτῶν, Suidam hoc loco genuinam glossae formam retinuisse; qui si ex Photio sua compilasset, certe, ut alioquin quae excerpsit cum puluisculo recipere solitus est, deprauatam illius glossae formam uix repudiasset.

Accedit quod quidquid Suidas in glossis ad uersus Aristophaneos pertinentibus cum Photio commune habet, breuissimae plerumque sunt singularum uocum interpretationes, quae apud Suidam ei scholio praecedere solent, quod et ipsum in codicibus Aristophaneis legitur, ueluti ad u. 154 s. gl. Προσκέψομαι scholio ei, quod etiam in codicibus Aristophaneis legitur, explicatio praemittitur περισκοπήσω eadem, quam Photius uetur. Idemque ualet in gl. Πτερυγίζων ad Eq. 522: πετόμενος || gl. Ῥόθιον ad Eq. 546: τὸ μετὰ ψόφου κῦμα ἢ ῥεῦμα || gl. Ἡνίαι ad Eq. 1109: λῶροι χαλινῶν || gl. Στερίφη ad Thesmoph. 641: σπεῖρα, μὴ τεκοῦσα (μηδὲ τίκτουσα add. Photius) || gl. Συβήνη ad Thesmoph. 1197: ἡ δερματίνη αὐλοθήκη, ἢ ἡ φαρέτρα || gl. Πάσῃ τέχνῃ ad Lys. 412: ἐκ παντὸς τρόπου || gl. Στρόφιον ad Lys. 931: τὸ στρογγύλον ζωνάριον. —

Longiores uero adnotationes, Photio et Suidae communes, quae desunt in codicibus nostris Aristophaneis, in utriusque libros ex communi fonte fluxisse magis putauerim, quam Suidam Photii lexicon compilasse. Velut Suidae et Photii glossam Ψωλὸν γενέσθαι δεῖ σε μέχρι τοῦ μυρρίνου (Eq. 964). Ἡ παροιμία

παρὰ Ἀριστοφάνει ἐν Ἱππεῦσιν. Ἐλέχθη δὲ ἐπὶ τῶν μέχρι πολλοῦ διεσκυλμένων (διελκυσμένων Phot., διειλκυσμένων[1]) Prouerb. Append. Vat. cent. IV 49) et quae sequuntur ex paroemiographo quodam fluxisse uerisimile est.

Item s. gl. *Κύτταρος* (ad Thesmoph. 516) copiosior scholii forma, quam seruauit Suidas cum Photio: ἡ τῆς βαλάνου πυελίς· ἢ τὸ προεξάνθημα τ ἧς ῥοιᾶς· ἢ ἡ ἐν τοῖς κηρίοις τῶν μελιττῶν πυελὶς καὶ κατάτρησις, facile ex descriptione quadam rerum naturalium nunc deperdita in utriusque lexicon introire potuit[2]).

Simili modo quae s. gl. *Καρύκη* apud utrumque et apud Hesychium leguntur:

Suid.	Phot.	Hesych.
ἔδεσμα ἐκ πολλῶν συγκείμενον, βρῶμα Λύδιον ἐξ αἵματος καὶ ἄλλων ἐδεσμάτων, ἀφ᾽ οὗ καὶ τὰ συνταράττειν τι καὶ ἀναδεύειν καρυκεύειν φασί.	ἔδεσμα ἐκ πολλῶν συγκείμενον. (nec quicquam amplius)	• βρῶμα Λύδιον ἐξ αἵματος καὶ ἄλλων ἡδυσμάτων, ἀφ᾽ οὗ καὶ κτλ.

ex communi fonte ita fluxerunt, ut Suidas pleniorem et rectiorem — ineptum enim est ἡδυσμάτων Hesychii — retinuerit.

Qua in disquisitione saepe non accurate potest discerni, utrum Suidas ex codice suo Aristophaneo scholium quoddam descripserit, an ex alio fonte adnotationem aliquam, quae ad Aristophanis uerba quadraret, transsumpserit; ac ne uariae quidem citandi formae a Suida in lexico adhibitae (sine poetae fabulaeque nomine, Ἀριστοφάνης, ὡς Ἀριστοφάνης, οὕτως Ἀριστοφάνης, Ἀριστοφάνης φησί, Ἀριστοφάνης adiecta uel omissa praepositione ἐν cum titulo fabulae) ansam canonemue praebere queunt; quamquam hoc certum est:

---

[1]) Kusterus διεσκολλυμένων, Toupius μέχρι πιλοῦ διεσκολυμένων.

[2]) cf. gl. *Πόα.* Ἑκάστη βοτάνη κτλ., quae glossa ex Suida in Aldinam Aristophanis editionem transmigrauit. cf. Dindorf. tom. IV pg. VIII adnot. a.

quidquid aut omisso poetae fabulaeque nomine aut addito simplici nomine Ἀριστοφάνης a Suida afferatur — et longe plurimis locis Suidas hac citandi ratione utitur — hoc ex codice Aristophaneo suo Suidam ipsum descripsisse. —

Denique cum **Hesychio** et cum **Lexicis Seguerianis**[1]) uix ulla necessitudine Suidae adnotationes cohaerent, nec facile Aristophanea his et Suidae communia reperies, quae in scholiis R*VΘG* non seruata sint.

CAPVT TERTIVM.

§ 23.

His praemissis iam cum uariorum librorum Aristophaneorum scholiis Suidae adnotationes in comparationem uocemus.

In enotandis autem scholiis dispar fuit Suidae opera in diuersis fabulis, cum in Pace et in Equitibus copiosissima extent, propemodum deficiant in Vespis, rariora et breuiora legantur in Ecclesiazusis, Thesmophoriazusis, Lysistrata, id est iis ipsis in fabulis, quarum nobis quoque omnium rarissima extant scholia. Hinc etsi non efficitur Suidam in excerpendis his fabulis alio fortasse libro minore scholiorum copia instructo usum esse, tamen licet conici in his comoediis omnium minimum grammaticorum Byzantinorum studium ac laborem uersatum esse.

Ex uariis autem scholiorum Aristophaneorum generibus desiderantur praecipue scholia metrica[2]), raro inueniuntur adnotationes, quae ad histrionum chorique actionem pertinent, id quod more Suidae lexicographi explicatur non commentarium in fabulas Aristophaneas conscripturi sed glossas κατὰ στοιχεῖον collectas atque dispositas exemplis cum ex aliis scriptoribus tum ex Aristophane petitis illustraturi et explicaturi.

Ex reliquis scholiis una pars in uerborum obscurorum interpretatione uersatur, altera ad res spectat et conscripta est ad explicandas antiquitates scaenicas, publicas, priuatas, quarum mentio fit in comoediis Aristophanis, et ad enarrandas

[1]) ed. Bachmannus in Anecdotis.

[2]) cf. quae Dindorfius in uol. I[i] praef. pg. XVI de R[is] scholiis metricis adnotauit.

res historicas et mythologicas. Cumque Suidas praecipue glossographi munere fungatur, quid mirum, quod ex codice suo Aristophaneo eam scholiorum partem uel totam in lexicon suum recepit, quae proprias glossas earumque circumscriptiones continebat?

Huc pertinent eae breues adnotationes, quibus Suidam cum Zonara consentire supra memoraui. Sequuntur[1]) propriae glossae interlineares, h. e. singularum uocum breuia interpretamenta, quibus Suidas nostris codicibus Aristophanis praestat, uelut ad Eq. v. 8 *Δεῦρο· ἐνθάδε, ἐπὶ τοῦ παρόντος. καὶ δεῦρο ἀεὶ ἀντὶ τοῦ, μέχρι τοῦ παρόντος. σημαίνει δὲ καὶ τὸ ἐλθέ.* 43 *Νουμηνία, ἡ τοῦ μηνὸς ἀρχή.* 44 *Βυρσαίετος· . . . . σκυτοδέψης Ἀττικὸν, βυρσοδέψης δὲ Ἀσιανόν.* 49 *κοσκυλμάτια· τῶν βυρσῶν τὰ σμικρότατα περικόμματα.* 141 *Ὑπερφυᾶ τέχνην· . . . . . ἀλλαντοπώλης ὁ τὰ ἔντερα πωλῶν·* 197 *Μάρψῃ· συλλάβῃ, διαχρήσηται.* 220 *Συμβαίνουσι· συμπράττουσι*[2]), *συμφωνοῦσι.* 248 *Τελώνης· ὁ τῶν τελῶν ἐταστής.* 292 *Ἀσκαρδαμυκτί· . . . . χωρὶς τοῦ μύειν, ὅ ἐστιν ἀγρίως βλέπειν . . . . σκαρδαμύσσειν λέγεται καὶ ἰλλωπεῖν. ἀσκαρδαμυκτεῖν οὖν τὸ ἄνω βλέπειν.* 327 *Λείβεται· τοῖς δακρύοις διάβροχος γίνεται.* 347 *Μέτοικοι δὲ οἱ ἀφ' ἑτέρας πόλεως μεταστάντες καὶ εἰς ἑτέραν οἰκοῦντες*[3]). 359 *Προσίεται· ἀρέσκεται, προσδέχεται*[4]). 553 *Ἁνδάνει· ἀρέσκει, μέλει.* 596 *Ξυνδιήνεγκαν· συνέκαμον, συνεπράξαντο . . . . ἀντὶ τοῦ ὑπερήνεγκαν.* 682 *Ὀβολοὶ δὲ εἰσὶν οὓς καλοῦμεν φόλλεις*[5]). 696 *Κεραυνός . . . . τῶν δὲ κεραυνῶν οἱ*

---

[1]) In enotandis his glossis, si tota deest glossa nostris codicibus Aristophaneis, numerum uersus linea subducta conspicuum reddidi. Litteris latius dispositis ea uerba Graeca distinxi, quae apud Suidam quidem leguntur, sed in scholiorum codicibus desunt.

[2]) *συμπράττουσι V* et gl. Victorian.

[3]) similiter Harpocratio s. gl. *Μέτοικοι.*

[4]) Lex. Seguer. 351 *ἀρέσκει, προσδέχεται.*

[5]) Est autem *φόλλις* uox Latina follis, i. e. sacculus quo condebantur nummi et deinde „minutae pecuniae genus et omnium minima" (cf. Salmasium ad Aelii Lampridii Heliogabalum cp. 22) recepta a Byzantinis uidetur non adeo recentibus temporibus; neque tamen comparet

μὲν καταιβάται, οἱ δὲ ψολόεντες οἱ τῇ ψαύσει ὀλλύντες, οἱ δὲ ἀργῆτες καλοῦνται. 781 Διεξιφίσω· διεμαχέσω περὶ τῆς χώρας. 837 Ζηλῶ· μακαρίζω. Ἀριστοφάνης Θεσμοφοριαζούσαις . . . (ad voc. εὐγλωττίας) ἀντὶ τοῦ, τῆς γραφῆς, τῆς κατηγορίας. 860 Μὴ τοῦ λέγοντος ἴσθι· Μὴ πείθου τοῖς διαβάλλουσιν. 918 Ἱστίον σαπρόν· Ἄρμενον παλαιόν, τρίβακον ἢ μὴ ἁρμόζον. 984 Δοῖδυξ· ὁ ἀλετρίβανος. 1109 Ἠνίαι· τουτέστι τὴν ἐξουσίαν. 1307 Τερηδών· Σκώληξ ξυλοτρώκτης, οἰκῶν ἐν ξύλῳ. 1369 Κατάλογος· ἡ ἀπογραφὴ τῶν ὀφειλόντων στρατεύεσθαι. καὶ ἡ ἐξαρίθμησις· ὁ πίναξ ἐφ' οὗ ἐνέγραφον τῶν ἐκστρατευομένων τὰ ὀνόματα.

Multo quam in Equitibus fit euidentius Suidam glossographi maxime munere functum esse in Thesmophoriazusis, qua in fabula ubicunque aut auctior aut singularis scholii forma a Suida exhibetur, plerumque eum breuium glossarum interpretamenta adicientem deprehendimus: ueluti in vv. 43 Ἐχέτω· κρατείτω. 93 Τεχνάζειν· τὸ πανούργως τι διαπράττεσθαι. 133 Γαργαλίζει· δοτικῇ, κινεῖ, ὑποσημαίνει (lege ὑποσαίνει, quod ex Phauorino restituendum est). 136 Γύννις· ἀνδρόγυνος, μαλακός. 159 Ἄμουσα (lege ἄμουσον)· ἀτερπῆ ἀηδῆ ἀπαίδευτα (lege ἀπαίδευτον). 163 Ἐμιτρώσατο· (ad διεκίνων) ἀντὶ τοῦ μίτραις τουτέστι ζώναις διαζωσάμενοι ἁβρῶς περιεπάτουν. 173 Βαΰζων· ὑλακτῶν. 179 Κοινολογία . . . κοινῇ δὲ ἀντὶ τοῦ ἀνθρωπίνῃ, μεγάλῃ καὶ θαυμαστῇ; ex his ἀνθρωπίνῃ ad κοινῇ scripturam, μεγάλῃ καὶ θαυμαστῇ, quae etiam in scholio R[is] leguntur, ad scripturam καινῇ referenda sunt. 191 Ἐξυρημένος· τὴν κόμην ἀποβαλών. 195 Ὑφέξειν· ὑπενεγκεῖν, ὑπομεῖναι. 198 Τεχνάσμασι· δόλοις, πανουργίαις. 216 Ἀφανανθήσομαι . . . . ἀφαύειν (falso ut in uersu ipso pro ἀφεύειν) παίειν. 223 Ἐποποὶ . . . . ἀτταταί· ἐπὶ τῶν ἀλγούντων. 227 Ἡμίκραιρα· τὸ ἥμισυ τῆς κεφαλῆς. 236 Δελφάκιον· ὁ μικρὸς χοῖρος. 245 Ἀποπεπόνηκας· τῶν πόνων ἔληξας. 324 Οἶστρος· ἐρεθισμός, ἔκκαυσις, πύρωσις ἐμμανής. 427 Θριπηδέστατον·

in scholiis nostris Aristophaneis, ex quibus uerba Graecobarbara et Latina collegit Dindorfius praef. ad tom. IV pg. IV.

ἀντὶ τοῦ, βεβρωμένον καὶ διεφθαρμένον. 427 Ἐβάστασεν· ἀντὶ τοῦ ἐδοκίμασεν. 469 Ὀναίμην· ἐπιτύχοιμι, ἀπολαύσω (ἀπολαύσαιμι ex Phauorino restituendum est). 493 Ληκώμεθα· κινώμεθα. 509 Ἦτρον· τὸ ὑπὸ τὸν ὀμφαλὸν μέρος. 601 Πρόξενος· ὁ προστάτης. 747 Διονύσια· ἑορτὴ παρ' Ἀθηναίοις. 771 Πλάτη· κώπη. πλάτη καὶ εἶδος πλοίου. 846 Ἰλλόν· στρεβλὸν, στραβὸν, ἢ τυφλόν. 986 Τορεύει· γλύφει, τιτρᾷ. 1217 πηκτὶς, πηκτίδος· πάνδουρα μάχαιρα κρεώκοπος, παρὰ δὲ Ἀριστοφάνει ἐν Θεσμοφοριαζούσαις εἶδος ὀργάνου κιθαρωδικοῦ ἢ εἶδος ἀκολάστου σχήματος. 1227 Διέβαλεν· ἀντὶ τοῦ ἐξηπάτησεν.

Neque aliter in Lysistrata longe maxima pars earum adnotationum, quae a Suida solo traduntur, proprias glossas complectitur, uelut ad vv.:

13 Εἰρημένον· λελεγμένον.[1]) 19 Ἐψώμισεν· ἔτρεψεν (leg. ἔθρεψεν). 57 Ἀττικάς· ..... (ad τοῦ δέοντος ὕστερον spectant) ἀντὶ τοῦ ὑστεριζούσας τοῦ καιροῦ, βραδυνούσας. 82 Πυγή· τὸ περὶ τὸν πρωκτὸν μέρος. 89 Βλήχων· ἡ γλήχων· οὕτως λέγεται παρὰ Ἀττικοῖς. Ἔστι δὲ εἶδος βοτάνης. καὶ τὸ ἐφήβαιον Ἀριστοφάνης οὕτως ὀνομάζει. 103 Ἄπεστιν· ἀντὶ τοῦ ἀφέστηκε, μακράν ἐστι. 107 Φέψαλος καὶ φέψαλυξ· σπινθὴρ, ὁ ἀναφερόμενος ἐκ τῶν καιομένων ξύλων. 126 Μυᾶτε· Μυᾶν ἐστι τὸ τὰ χείλη πρὸς ἄλληλα συνάγειν. Τὸ δὲ αὐτὸ καὶ μύλλειν λέγεται. Τινὲς δὲ, τοὺς ὀφθαλμοὺς συνάγετε δυσαρεστοῦσαι. Ἢ ὥσπερ μύες καταδύεσθε καὶ σκαρδαμύσσεσθε. Ἢ μύλλετε, ἢ μυκτηρίζετε. 201 Ἡσθείη· χαρήσεται. 221 Ἐπιτυφῇ· ἐπικαῇ, ἐπιπυρωθῇ, ἐπικαυθῇ ἐπ' ἐμοί. 256 Ἄελπτα· ἀέλπιστα, ἀπροσδόκητα. 275 Ἀψάλακτος· ἀπαθὴς, ἀτιμώρητος· Ἀψάλακτον γὰρ τὸ ἄτικτον. 279 Ἄλουτος· χωρὶς τοῦ σ. 295 Φῦ φῦ· ἐπὶ τοῦ φυσῶντος τὸ πῦρ. 367 Βρύκουσα· ἐσθίουσα, δάκνουσα, παρὰ τὴν βοράν, οἱονεὶ βορύκουσα. 444 Κύαθος· ἀντλητήριον, μέτρον ὑγροῦ οὐγγιῶν β', ἢ κοχλιάριον. 474 Μηδὲ κάρφος κινεῖν· ἐπὶ τοῦ ἡσύχου. 491 Κορκορυγάς· ...... (ad Κορκορυγὴν ἐκύκων) ἀντὶ τοῦ ταραχὴν ἐκίνουν. 550 Μὴ

[1]) corruptum in codd. Barocc. et Leidensi: εἰρημένον ἀντὶ τοῦ εἰρημένου ἀττικῶς; legendum est ἀντὶ τοῦ λελεγμένου (uel λελεγμένον).

τέγγεσθε· μὴ μελήσετε. 550 Οὔρια θεῖτε· ὀρχεῖσθε. 578 Διαξῆναι· διαλῦσαι. 597 Ὀττευομένη· ἀπὸ μεταφορᾶς τῶν ὄρνεων τῶν δυσοιωνίστων. 686 Βωστρεῖν· καλεῖν, βοᾶν. 721 Διαλέγουσαν· διοικοδομοῦσαν. λέγειν γὰρ τὸ οἰκοδομεῖν.[1]) 927 Ἡρακλῆς ξενίζεται· Παροιμία ἐπὶ τῶν βραδυνόντων. Οἱ γὰρ ὑποδεχόμενοι τὸν Ἡρακλέα βραδύνουσι. Πολύφαγος γὰρ ὁ ἥρως. Ἡ ἐτυμολογία τῆς κλήσεως ἀπό τινος χρησμοῦ·

Ἡρακλῆν δέ σε Φοῖβος ἐπώνυμον ἐξονομάζει·
ἦρα γὰρ ἀνθρώποισι φέρων κλέος ἄφθιτον ἕξεις.[2])

982 Κυρσάνιε· Νεανία, ἔφηβε. Ἢ εὐτελέστατε. Κυρσὸς γὰρ εὐτελὲς λάχανον. Κυρσανίους δὲ καλοῦσιν οἱ Λάκωνες τὰ μειράκια, καὶ τοὺς εὐτελεῖς ἀνθρώπους.[3]) 987 Παλεός· ὁ σκώπτης. 1110 Αὐθέκαστα· αὐτὰ τὰ γινόμενα, οἷον ἀκρίτως (lege teste Lex. Seguer. 462 ἀκριβῶς) καὶ συντόμως. ἢ τὰ ἁπλᾶ καὶ ἀληθῆ αὐτακριβῶς. 1127 Μεμούσωμαι· ἀντὶ τοῦ πεπαίδευμαι, ἤσκημαι. 1316 Παραμπυκίζεται· παραπλέκεται τὰς τρίχας.

Hac tabula apparet longe maximam partem earum adnotationum Suidanarum, quae etsi non multum at certe aliquantum lucis ad Thesmophoriazusas et Lysistratam afferre possint ideoque dignae uideantur, quibus augeatur scholiorum Aristophaneorum corpus, ex glossis interlinearibus originem duxisse, quibus Suidae codex pluribus quam codices R*V*Θ instructus fuerit; indidem explicandum est, quod totiens ipsa illa uocabulorum forma, quae extat in fabula Aristophanea, apud Suidam fideliter seruata est.

[1]) inepta haec sane; neque uero ea minus inepta, quae in nostris scholiis ad h. v. leguntur διαλέγειν = διορύττειν.

[2]) cf. Eustath. ad Il. pg. 561 et Etym. Magn.

[3]) Eadem mutila quidem legebantur in eo codice, ex quo Claudius Puteanus scholia adscripsit editionis Frobenianae fabularum Aristophanearum exemplo suo, quae nonnunquam leuiter cum Suida consentiunt, uelut ad v. 201 Put. scholium subministrat: ἡσθείη· εὐφρανθείη, ad v. 221 ἐπικαυθῇ, ad v. 538 διαλῦσαι χρή, ad v. 983 κυσάνιε (sic) νεανία, ἔφηβε, ἢ εὐτελέστατε· κυρσὸς γὰρ εὐτελὲς λάχανον· κυρσανίους δὲ καλοῦσιν οἱ Λάκωλες τὰ .... (supple μειράκια ex Suida) καὶ τοὺς εὐτελεῖς ἀνθρώπους. Fieri tamen potest, ut Claudius Puteanus haec ex ipso Suida addiderit.

CAPVT QVARTVM.

§ 24.

Iam uideamus quae ratio intercedat inter scholia Suidana et Rauennatem, quem integriorem formam plerumque seruasse supra memoraui, et codices *VΘ*, qui eandem fere scholiorum copiam formamque repraesentant atque Suidas.

Atque in Thesmophoriazusis, ubi solo cum R^e Suidam comparare licet, assentiar Fritzschio[1], qui: *Recte,* inquit, *dudum iudicauerat Valckenarius in Diatribe (pg. 49): In istam fabulam scholia uetera non pauca possunt apud Suidam reperiri; quam rem tam insignem uix credas tam diu praeterire uiros doctos potuisse. Neque enim in ulla alia Aristophanis fabula Suidas uetusta et bonae notae scholia tam saepe compilauit. Nuper editis a Bekkero scholiis libri* R^{is} *cognitum est, Suidam haec ipsa scholia descripsisse, uel dicam ambo e communi fonte doctrinam suam hausisse nec nisi leuiter inter se minutis in rebus discrepare.* Et profecto in hac fabula Suidas nec auctiorem scholiorum formam exhibet praeter glossas illas interlineares in tertio capite enumeratas, nec omnino, si corruptos quosdam et mutilatos in R^e locos omiseris, ualde ab eo discrepat.[2]) Suidae autem scripturae in scholiis discrepantes, ex quibus quidem aliquid emendationis scholiis R^{is} hauriri possit, ab Engero obseruatae et adnotatae sunt ad vv. 52 94 129 131 179 231 232 258 261 274 373 389 393 395 458 516 567 572 616 648 770 773 868 1175.

Vnum addo locum:

Ad v. 300:

Suidas s. gl. *Κουροτρόφος*·	R:
Κουροτρόφος γῆ· Ταύτῃ δὲ θῦσαί φασι πρῶτον Ἐριχθόνιον ἐν ἀκροπόλει καὶ βω-	*εἴτε τῇ γῇ εἴτε τῇ ἑστίᾳ ὁμοίως πρὸ τοῦ Διὸς θύουσιν αὐτῇ.*

[1]) Thesmoph. pg. 82.

[2]) Bernhardyus in Commentt. de Suidae lexico pg. 48: *Nam in Lysistratam et Thesmophoriazusas, ubi scholia rarescunt et extenuantur, nihil obtulit R amplius, quin id apud Suidam inueniatur.*

S:	R:
μὸν ἱδρύσασθαι, χάριν ἀποδιδόντα τῇ γῇ τῶν τροφείων· καταστῆσαι δὲ νόμιμον τοὺς θύοντάς τινι θεῷ ταύτῃ προθύειν.	

ubi mutilatum R^is scholium ex Suida supplendum est.

Atque in Lysistratae scholiis Suidam cum codicibus L(eidensi) et Bar(occiano), ex quibus primus scholia in Lysistratam edidit Kusterus, praeter leuissimas immutationes et lacunas nonnullas, quae facile ita ortae esse possunt, ut necessitudinem inter Suidam et eos codices statuere uix oporteat, consentientem non reperies; locos autem paucos, quibus cum Puteani Lysistratae libro leuiter congruit, supra adnotaui Praeter glossas illas interlineares supra enumeratas raro Suidas auctiorem scholii formam quam R suppeditat. Plerasque autem differentias probabilesque Suidae scripturas iam Engerus adnotationibus suis inseruit ad vv. 27 139 150 158 173 329 354 485 549 558 577 618 629 632 642 653 665 808 943 1032 1162.

Contra in Equitibus scholiorum Suidanorum condicio non prorsus eadem est atque R^is; immo ut in codicibus *VΘG*[1]) sic etiam apud Suidam uetustiorum scholiorum quasi nucleus Byzantinorum glossis aduenticiis saepissime circumdatus atque obrutus est. At cum nullo horum codicum, uel cum neutro codicum genere scholia Suidana congruunt. Immo hic R^is scholium tuentur illic ad codices *VΘ* adspirant, illic scholia utriusque codicum generis coniuncta exhibent, illic denique peculiarem uel auctiorem uel decurtatam scholii formam repraesentant.

§ 25.

In hac autem quaestione ualde dolendum est quod in Equitibus inde a v. 214 scholia R^is desinunt. Quae etsi in *V*^i*Θ*^i scholiis plerumque latent, tamen, cum ea immutationes accessiones corruptelas multifariam passa sint, ignoramus, quae

---

[1]) is codex rarissime discrepat a *V*^0.

R^{is} propria scholia fuerint, i. e. qui fuerit integrior et uetustior, quem supra dixi, scholiorum nucleus.

Ad comprobandam meam de scholiorum Suidanorum forma sententiam priore loco ea subiciam scholiorum exempla, in quibus similitudo quaedam cum R^{e} cognoscitur; ueluti ad Eq. 41:

S s. gl.	R:	*VΘ*:
Κυαμοτρώξ· ὁ δικαστής		*. . . δικαστικὸς, κυάμους ἐσθίων· κυάμοις δὲ ἐχρῶντο οἱ δικασταὶ διὰ τὸ μὴ καθεύδειν. ἢ ἀντὶ ψήφων. ἄλλοι δὲ διὰ τοῦ σ, κυαμοτρὼς, ὁ κυάμοις δικάζων, ὁ τιτρώσκων. τούτοις γὰρ ἐχρῶντο ἀντὶ ψήφων.*
om.	om.	
τρεφόμενος ὑπὸ κυάμων. πρὸ γὰρ τῆς εὑρέσεως τῶν ψήφων κυάμοις ἐχρῶντο ἐν ταῖς χειροτονίαις τῶν ἀρχόντων καὶ ἐν ταῖς ἐκκλησίαις.	*ὑπὸ τῶν κυάμων τρεφόμενος. πρὸ γὰρ τῆς εὑρέσεως τῶν ψήφων κυάμους* (sic) *ἐχρῶντο κτλ.*	*Ἄλλως· τρεφόμενος ἀπὸ τῶν κυάμων, πρὸ γὰρ τῆς κτλ.*
ὡς οὖν τῶν ψηφιζόντων ἀργύριον λαμβανόντων καὶ χειροτονούντων τοὺς διδόντας	*ως καὶ τῶν ψηφιζομένων κτλ.*	*τῶν ψηφιζομένων κτλ.*
πλέον **	*πλέον* **	*πλέον, οὕτως ὠνόμασε τὸν δῆμον τὸν ἀπὸ τῶν κυάμων τρεφόμενον.*
deest.	deest.	

Hic Suidas cum R^e non tradit prius scholium ($V^i\Theta^i$) *δικαστικὸς — ἐχρῶντο ἀντὶ ψήφων*, quod ineptiis scatet, tum uterque alterius scholii finem mutilatum exhibet: *ὡς οὖν τῶν ψηφιζομένων* (sic etiam apud Suidam scribendum) *ἀργύριον λαμβανόντων καὶ χειροτονούντων τοὺς διδόντας πλέον*.. Ergo suppleuit in $V^0\Theta^0$ grammaticaster quidam uerba *οὕτως ὠνόμασε τὸν δῆμον τὸν ἀπὸ τῶν κυάμων τρεφόμενον*, quae iam initio scholii explicandi causa dicta erant; nam qui in hac enuntiatione inest sensus: quia in delectu magistratuum et contionibus fabis utebantur et quia suffragantes eum creare solebant, qui plurimum ipsis dabat pecuniae, ea de causa fabas manducantem populum appellat?

Porro ad v. 210:

S s. gl. *Θαλφθῇ·*	R:	*VΘ*:
om.	*καταθελχθῇ, καταπλαγῇ ταῖς λοιδορίαις,*	*καταθαλφθῇ, καταπλαγῇ ταῖς λοιδορίαις,*
om.	om.	*τουτέστιν ἐὰν μὴ εἴξῃ μηδὲ παραχωρήσῃ λοιδορούμενος. Ἄλλως·*
ἐξαπατηθῇ	*ἐξαπατηθῇ*	*ἀπάτῃ ἀπατηθῇ*
om.	om.	*καταπτήξας τὰς λοιδορίας Κλέωνος.*
τῇ τῶν λόγων περιδρομῇ.	*τῇ τῶν λόγων περιδρομῇ.*	om.

Hoc loco Suidas etsi initio breuior est, postea ad R^{em} adspirat; ceterum *ἀπάτῃ* ante *ἀπατηθῇ* in *VΘ* dittographia ortum est.

Ad v. 8

S s. gl. *Δεῦρο·*	R:	*VΘ*:
ἀντὶ τοῦ πλησίασον, ἐγγὺς ἐλθέ.	*προσπλησίασον,*[1] *ἐγγὺς ἐλθέ.*	om.

[1]) ita, non *πρόσελθ'. πλησίασον* R habet, ex quo codice scholiorum in Equites scripturas a se enotatas mecum communicauit R. Schoellius.

Ad v. 37

S s. gl.	R:	*VΘ*:
Οὐ χεῖρον· ἀντὶ τοῦ βέλτιον.	*οὐ χεῖρον ἄν* (err. pro *ἀν*^{τ} i. e. *ἀντὶ τοῦ*)· *βέλτιον.*	om.

Ad v. 105:

S s. gl.	R:	*VΘ*:
Ἐγκάναξον· ἔνσεισον		
om.	om.	*ἐγκάναξον· ἔγχεε* (*ἔκχεε Θ*), *ἐγκένωσον* (*ἐγκάνωσον Θ*). *λέγεται* (*λέγει Θ*) *δὲ ἐπὶ τῶν ἀθρόως πινόντων.*
προσένεγκε, ἔγχεον. πεποίηται δὲ ἡ λέξις. ἕλκυσον, ἐκρόφησον, ἔκπιε.	*προσένεγκε, ἔκχεον* (lege *ἔγχεον*) om.	om.

Ergo Suidas cum R^e consentit contra $V^{um}Θ^{um}$ in nonnullis scholiis *interlinearibus*.

§ 26.

Saepius uero quam cum R^e Suidas cum codicum *VΘ* scholiorum forma congruit, ueluti ad v. 196:

S s. gl.	R:	*VΘ*:
Ἠνιγμένος· μετὰ αἰνίγματος λελεγμένος, (*οὐκ* om.) *αὐτόθι φανερὸν ἔχων τὸν νοῦν.* (*τοῦτο δὲ* om.) *παρόσον οἱ χρησμοὶ λοξῶς ἐξεφέροντο*[1])	om.	*μετὰ αἰνίγματος λελεγμένος, οὐκ αὐτόθεν φανερὸν ἔχων τὸν νοῦν. τοῦτο δέ, παρόσον οἱ χρησμοὶ λοξῶς ἐκφέρονται*[2]) *ὑπὸ τοῦ Ἀπόλλωνος.*
om. [hic sequitur uersus 196] *οἷον ἄλλα μὲν λέγων* [*καὶ*] *ἄλλα δὲ νοῶν.*	*μετὰ αἰνίγματος οἷον ἄλλα μὲν λέγων, ἄλλα δὲ δηλῶν.*	*Ἄλλως μετὰ αἰνίγματος οἷον ἄλλα* (*ἄλλο Θ*) *μὲν λέγων, ἄλλα* (*ἄλλο Θ*) *δὲ δηλῶν.*

[1]) *ἐφέροντο* BEC.

[2]) *φέρονται Θ.*

Optime Suidas in extremo scholio *νοῶν* pro *δηλῶν* subministrat; ineptum enim est alia dicere, alia enuntiare.

Ad v. 17:

S s. gl.	R:	*VΘ*:
Θρέττε· ἀντὶ τοῦ θαρραλέον	*τὸ θαρραλέον*	*Ἀντὶ τοῦ θαρραλέον.*
om.		*οὐδὲ τὸ τυχὸν ἔχω[ν], φησὶ, περὶ τούτων εἰπεῖν. θρέττε δὲ βαρβαριστὶ ἀντὶ τοῦ θαρρεῖν, παρὰ τὸ θρασὺ*
καὶ ἀνδρεῖον καὶ θρασύ. οὐκ ἔστιν εἰπεῖν, ὃ σὺ διανοῇ.	om.	*καὶ ἀνδρεῖον· οὐκ ἔστιν οὖν εἰπεῖν, ὃ σὺ διανοῇ.*

Ad v. 31:

S s. gl. *Βρέτας· εἴδωλον ἄγαλμα παρὰ τὸ βροτῷ ἐοικέναι.*	om.	*Ἄγαλμα θεῶν,*
om.	*ἱκέτας καθίσαι. ἢ καταφυγεῖν πρὸς βρέτας*	*προσπεσεῖν δὲ, ἱκέτας καθίσαι. ἢ καταφυγεῖν πρὸς βρέτας,*
πρὸς τέμενος ἢ πρὸς ἕδος ἢ πρὸς ἄγαλμα θεῶν ἱκέτας γενέσθαι.		*πρὸς ἱερὸν, πρὸς τέμενος ἢ πρὸς ἕδραν ἢ πρὸς ἄγαλμα θεῶν.*
	om.	*βρέτας δὲ εἴρηται ἀπὸ τοῦ βροτῷ ἐοικέναι αὐτό.*

Hic apparet scholia codicum *VΘ* duabus ex partibus constare, quarum altera breuior *ἱκέτας καθίσαι ἢ καταφυγεῖν πρὸς βρέτας* etiam in R[e] adseruatur, altera maior et quae priorem partem ab utroque latere circumdat: *εἴδωλον ἄγαλμα παρὰ τὸ* (*ἀπὸ τοῦ VΘ*) *βροτῷ ἐοικέναι* (*αὐτὸ* add. *VΘ*) et *πρὸς τέμενος ἢ πρὸς ἕδος* (*ἕδραν VΘ*) *ἢ πρὸς ἄγαλμα θεῶν* recentissimi

grammatici uidetur esse adnotatio, quae etiam in Suidae codicem recepta est.

Ad v. 154:

S s. gl.	R:	*VΘ*:
προσκέψομαι· περισκοπήσω, περιεργάσομαι εἰσελθὼν καὶ κατανοήσας.	*προσκέψομαι· περιεργάσομαι* om. *καὶ κατανοήσω τί ποιεῖ.*	*προσκέψομαι· περιεργάσομαι, φησίν, εἰσελθὼν καὶ κατανοήσω τί ποιεῖ ὁ Παφλαγών.*

Ad v. 197:

s. gl. *Ἀγκυλοχείλης καὶ ἀγκυλόχειλος, σκολιόχειλος ἐπίθετον τοῦ ἀετοῦ, ἐπικαμπεῖς τὰς χηλὰς ἔχων [τοῦ χείλους].*[1]	*ἀγκυλοχείλης* (om.) *τοῦ ἀετοῦ ἐπίθετον.* om.	*τὸ δὲ ἀγκυλοχείλης* (om.) *ἐπίθετον τοῦ ἀετοῦ, ὁ ἐπικαμπεῖς τὰς χηλὰς ἔχων.*

§ 27.

Codex *Θ* etsi scholiorum forma et copia fere totus cum *V*° congruit, tamen inueniuntur nonnulli loci, quibus singularem scholii formam exhibet; atque inter hos nonnunquam consensus uel similitudo codicis *Θ* cum Suida deprehendi potest, ueluti ad v. 70:

S s. gl.	*V*:[2]	*Θ*:
Χέζομεν· ἀντὶ τοῦ πολλαπλάσιον. τὸ δὲ νοούμενον, ὅτι μικροῖς λήμμασιν ὁ Κλέων τῆς πόλεως προδίδωσι τὰ πράγματα. om.	om.	*πολλῷ πλείονα. ἵν' ᾖ τὸ νοούμενον, ὅτι μικροῖς λήμμασι ἀποδίδονται τῆς πόλεως τὰ πράγματα, ἀφ' ὧν ὠφέλεια μείζων ἐδύνατο γενέσθαι τῇ πόλει.*

---

[1]) *τοῦ χείλους* iure om. A Suidae, recepit Phauorinus.

[2]) R his qui sequuntur locis nihil ad rem facit, cum aut adnotationem nullam habeat (vv. 70 1 132) aut multo breuior sit (v. 2).

Ad v. 1 S	*V*:	*Θ*:
s. gl. Ἰατταταιάξ·		
σχετλιαστικὸν τὸ ἐπίρρημα. παρεπιγραφὴ δὲ λέγεται τὰ τοιαῦτα.	σχετλιαστικὸν τὸ ῥῆμα. παρεπιγραφὴ δὲ λέγεται.	σχετλιαστικὸν κτλ. ut V λέγεται τὰ τοιαῦτα.

Ad v. 2 Suidas s. gl. *Νεώνητόν* ceterum consentit cum *V*°*Θ*°, exeunte tamen scholio *πεφύκαμεν γὰρ καὶ τῶν οἰκετῶν μᾶλλον πιστεύειν τοῖς οἴκοι γεννηθεῖσι καὶ συντραφεῖσιν ἢ οἷς ἂν ἐπικτησώμεθα πριάμενοι* rectius apud Suidam et in codice *Θ* leguntur, quam quae codex *V* tradit: *πέφυκε μὲν γὰρ μᾶλλον πιστεύειν τοῖς οἴκοι γεννηθεῖσι καὶ τραφεῖσιν ἢ οὓς ἂν κτησώμεθα πριάμενοι.*

Denique ad v. 132:

S s. gl.	*V*:	*Θ*:
Προβατοπώλης·		
ὁ Καλλίας καὶ ἡ ἐπ' αὐτοῦ πολιτεία ἢ Λυσικλῆς	τὸν Καλλίαν λέγει καὶ τὴν πολιτείαν αὐτοῦ.[1] τινὲς δέ, ὅτι Λυσικλέα λέγει, ὃς προβατοπώλης ἐλέγετο.	τὸν Καλλίαν λέγει κτλ. ut V,
υἱὸς Ἀσπασίας (sic C et editores, υἱὲ Ἀσπασία AVBE).		ἐλέγετο ᾧ ἐγαμήθη Ἀσπασία.

Codex *Θ* igitur haud spernendam suppeditat adnotationem *ᾧ ἐγαμήθη Ἀσπασία*, quam comprobant Hesychius: *προβατοπώλης· οὕτω κωμῳδεῖται Λυσικλῆς προβατοκάπηλος γήμας Ἀσπασίαν τὴν πόρνην* et Plutarchus Pericl. cap. 24: *Αἰσχίνης δέ φησι καὶ Λυσικλέα τὸν προβατοκάπηλον ἐξ ἀγεννοῦς καὶ ταπεινοῦ τὴν φύσιν Ἀθηναίων γενέσθαι πρῶτον Ἀσπασίᾳ συνόντα μετὰ τὴν Περικλέους τελευτήν.* Suidas autem si diceret *υἱὸς Ἀσπασίας*, quod editores statuere non dubitauerunt, hariolari uideretur. At hoc editoribus opprobres, non ipsi lexicographo; nam etsi Phauorinus, quem ex codice C uel eius

[1]) *προβατοπώλης τὸν Καλλίαν — αὐτοῦ* in R° quoque leguntur teste R. Schoellio.

simillimo doctrinam suam hausisse hoc ipso loco docemur, *υἱὸς Ἀσπασίας* nobis uenditat, tamen genuinam fere Suidae scripturam seruatam uideri codicibus AVBE *υἱὲ Ἀσπασία* suspicatus est Studemundus in scholis: *υἱὲ* enim in archetypo Suidae lexici uideri eo effectum esse, quod pro integris uerbis primae tantum litterae *ὦ̄ ἐ.* (id est *ᾧ̄ ἐγαμήθη*) scriptae essent. Hic mos notandi non perscribendi uerba olim late patuisse uidetur et apud Graecos scholiastas et apud Romanos, quamquam adhuc uiri docti hunc morem notandi multo saepius animaduerterunt in codicibus Latinis quam in Graecis.

§ 28.

Venio ad eos locos, quibus utriusque codicum generis et R^{is} et $V^i\Theta^i$ scholia coniuncta apud Suidam leguntur. Monuit enim iam Bernhardyus,[1] *non minimi esse momenti, quod, quae seorsim aut R seruaret aut V, ea confertim Suidas proderet et uerbis traderet uberrimis.* Cuius generis pauca exempla hic ponam; uelut ad v. 99:

S s. gl. *Καταπάσσω·*	R:	*VΘ*:
καταποικιλῶ	*καταποικιλῶ*	om.
πληρώσσω om.	om.	*πληρώσσω, γεμίσω.*

Ad v. 10:

S s. gl. *Μῦ μῦ·*	R:	*VΘ*:
om.		*Ὁμοφονοῦσιν ἀμφότεροι μύζοντες· τοῦτο δὲ ὡς θρηνητικόν·*
ἔστι δὲ ἴαμβος ἔχων τὸ μὲν πρῶτον μυ βραχὺ, τὸ δὲ δεύτερον μακρόν·	om.	*ἔστι δὲ ἴαμβος ἔχων τὸ μὲν πρῶτον βραχὺ, τὸ δὲ δεύτερον μακρόν.*
τοῦτο δὲ ὡς θρηνοῦντες.	*ὡς θρηνοῦντες.*	

In *VΘ* igitur uerba *ὡς θρηνητικὸν* eis respondent quae in S^a et R^e leguntur *ὡς θρηνοῦντες.*

---

[1]) Commentt. de Suidae lexico pg. 481.

Ad v. 211:

S:	R:	VΘ:
Αἰκάλλει· θωπεύει	*Αἰκάλλει κολακεύει*	*Αἰκάλλει δὲ θωπεύει με.*
om.	om.	*γράφεται* (*δὲ καὶ* add. *V*) *καλεῖ με, ἀντὶ τοῦ*
κινεῖ προτρέπεται.	*κινεῖ προτρέπεται.*	*κινεῖ προτρέπεται.*

Ad v. 42:

Πνὺξ τόπος Ἀθήνησιν ἔνθα		*Πνὺξ τόπος Ἀθήνησιν ἔνθα ἔστιν ὅτε*
ἐκκλησίαζον οἱ Ἀθηναῖοι.		*ἐκκλησίαζον οἱ Ἀθηναῖοι.*
om.		*Πνὺξ γὰρ τόπος ἐν Ἀθήναις, ἔνθα ἡ ἐκκλησία συνεκροτεῖτο, τὸν δῆμον δὲ*
ὥσπερ δὲ πολίτην τῆς Πυκνὸς Πυκνίτην εἶπε. Πνὺξ δὲ λέγεται παρὰ τὸ πυκνοῦσθαι	om.	*ὥσπερ πολίτην τῆς πυκνὸς εἶπε. Πνὺξ δὲ λέγεται παρὰ τὸ πυκνοῦσθαι*
om.		*ἐκεῖ τοὺς βουλευτάς, ἢ ἀπὸ τοῦ πεπυκνῶσθαι ταῖς καθέδραις.*
καὶ τὸ ἐν Ἀθήναις δὲ δικαστήριον Πνὺξ ἐκαλεῖτο.	*Πνὺξ τὸ ἐν Ἀθήναις δικαστήριον.*	om.

Denique ad v. 19:

S. s. gl. *Διασκανδικίσῃς·*		
μὴ εὐριπιδίσῃς[1]	*μὴ εὐριπιδίσῃς*	*Διευριπιδίσῃς· ἡ γὰρ*
om.	om.	*μήτηρ Εὐριπίδου*

---

[1] post *ἀποδειλιάσῃς* positum.

S	R:	VΘ:
om.	om.	σκάνδικα ἐπίπρασκεν. ὅ ἐστιν ἄγρια λάχανα. Ἄλλως·
μὴ ἀποδειλιάσῃς. μὴ ἀμελήσῃς.[1]		μὴ ἀποδειλιάσῃς, μὴ . μεταμελήσῃς.
σκώπτει δὲ τὸν Εὐριπίδην ὡς λαχανοπώλιδος υἱόν.	σκώπτει τὸν Εὐριπίδην ὡς λαχανοπώλιδος υἱόν.	σκώπτει δὲ τὸν Εὐριπίδην ὡς λαχανοπώλιδος υἱόν.
σκάνδιξ δὲ εἶδος λαχάνου λεπτοῦ.	om.	σκάνδιξ δὲ εἶδος λαχάνου. (λεπτοῦ om.)

§ 29.

Iam transeamus ad eas adnotationes, in quibus apud Suidam propria ac singularis scholiorum forma comparet. Quas si omnes uellem enumerare, chartae me misereret. Nam quoniam dilacerata atque diffusa per totum lexicon scholiorum copia iacet, et Suidas ipse iudicio plerumque caret, quis mirabitur permultis locis scholiorum thesaurum lacunis et corruptelis inquinatum esse? Itaque satis habeo specimina quaedam expromere grauioris discrepantiae, inter quae sunt, ex quibus aliquid lucis et emendationis scholiis nostris Aristophaneis affluere possit.

Itaque ad v. 255:

S s. gl. Ἡλιασταί·	VΘ:[2]
Ἡλιασταὶ οἱ ἐν Ἡλιαίᾳ δικασταί. Ἡλιαία δὲ τὸ μέγιστον δικαστήριον Ἀθήνησιν· οἵτινες ὑπὸ τῶν δημοτῶν ἐτρέφοντο.	Ἡλιαία γὰρ μεγιστον δικαστήριον Ἀθήνησιν. οἱ δὲ δικασταὶ ὑπὸ τῶν δημαγωγῶν ἐτρέφοντο.

Infeliciter hic Suidas scribendo δημοτῶν scholium mutauit; immo quae codicibus VΘ adseruatur scriptura δημαγωγῶν optime ad poetae sensum quadrat.

[1] perperam Suidas.

[2] deest R inde a v. 214.

Ad v. 416:

S s. gl. *Κυνοκέφαλος·*	*VΘ:*
Ὁ Κλέων ἑαυτὸν οὕτω καλεῖ. ἀντὶ τοῦ δεινὸν καὶ ἀναίσχυντον. ὁποῖος ἦν ὁ παρ' Ἡσιόδῳ Γηρυονεύς.	*Ἑαυτὸν ο Κλέων λέγει κυνοκέφαλον, δεινὸν καὶ ἀναίσχυντον. ὁμοῖος ἦν ὁ παρ' Ἡσιόδῳ Γηρυονεύς.*

Miror Dindorfium et Duebnerum formam *ὁμοῖος* intactam reliquisse, cum Suidas ueram scripturam exhibeat *ὁποῖος*.

Ad v. 626:

S s. gl. *Ἐλασίβροντ'·*	*VΘ:*
. . . . . *ἤτοι διὰ τὴν φωνὴν σκώπτει τὸν Κλέωνα ὅτι τραχέως ἐφθέγγετο, ἢ ὡς ταχέως.*	. . . . . *ἤτοι δὲ τὴν φωνὴν σκώπτει τοῦ Κλέωνος ὅτι* (*ὅςτις Θ* teste Duebnero) *ταχέως ἐφθέγγετο ἢ* (*ὅτι* add. *Θ*) *ὡς ταχεῖαν.* (*τραχεῖαν Θ*).

Correxit ex Suida *ὅτι τραχέως ἐφθέγγετο* Dindorfius.

Ad v. 641:

S s. gl. *Κιγκλίδας·*	*VΘ:*
. . . *ἢ κιγκλὶς ἡ ὀπή, δι' ἧς ἡ κλεὶς πέμπεται.*	. . . *ἢ κιγκλὶς ἰδίως* (om. *Θ*) *ἡ τρύπη, δι' ἧς ἡ κιγκλὶς πέμπεται.*

ubi Suidae uerba *δι' ἧς ἡ κλεὶς πέμπεται* pro absurda codicum *VΘ* scriptura *δι' ἧς ἡ κιγκλὶς πέμπεται* restituenda sunt.

Ad v. 792:

S s. sgl. *Πιθάκναι·*	*VΘ:*
. . *παρὰ δὲ Ἀριστοφάνει πιθάκναι οἱ ἔρημοι τόποι.*	*πιθάκναις* . . . . *ἑτοίμοις τόποις.*

Quid hic sibi uelint *ἕτοιμοι τόποι*, non apparet, immo Suidas ueram retinuit scripturam *ἔρημοι τόποι*.

Ad v. 723 Suidae scripturam *Κράτης δέ φησιν, ὅτι πᾶσαν στενὴν κατάδυσιν γύπας* (lege *γυπάρια*) *ὠνόμαζον*, Dindorfius restituit pro *Κρατῖνος δέ φησιν κτλ.* codicum *VΘ*.

Ad v. 814:

S s. gl. Ἐπιχειλές· οὕτω λέγεται μέτρον τὸ μὴ πλῆρες, ἀλλ' ἀπολειπόμενον.	VΘ: ἐπιχειλὲς γὰρ μέτρον λέγεται τὸ μὴ πλῆρες, ἀλλ' ἀπομεσούμενον.

ἀπομεσούμενον Valckenarius[1]) correxit in ἀπομασσόμενον; utra autem uariarum lectionum synonymarum, Valckenarii ἀπομασσόμενον Suidaene ἀπολειπόμενον, prior fuerit in scholio, in dubio remanet.

Ad v. 1185 'ἐντερόνειαν· . . . . βέλτιον δὲ, τὴν τῶν ἐγκοιλίων ὕλην (codices Aristophanei ξυλὴν) λέγειν ex Suida correxit Dindorfius.

Praeterea minores discrepantiae, ex quibus scholia nostra partim amplificari possint, reperiuntur apud Suidam

ad v. 254 s. gl. Κυρήβια· πίτυρα καὶ τῶν κριθῶν ἀποβρέγματα,[3]) τὰ ἄχυρα ἢ τῶν πυρῶν.[2]) ἢ ἔνθα αἱ κάγχρυες φρύγονται.[4]) κάγχρυες δέ εἰσιν αἱ ἀληλεσμέναι κριθαί.	VΘ: Κυρήβια δέ εἰσι τὰ πίτυρα καὶ ἄχυρα τῶν πυρῶν ἢ κριθῶν. ἔνθα αἱ κάχρυς φρύγονται. κάχρυς δέ εἰσιν αἱ λελεπισμέναι κριθαί, ἀφ' ὧν ἡ πτισάνη.
Ad v. 257: S s. gl. Συνωμοτῶν· ξυνωμοσίαν πεποιημένων, τουτέστι, πίστεις δι' ὅρκων διδόντων ἑαυτοῖς καὶ συνθήκας κατά τινων πεποιηκότων ἐπὶ τῇ καταλύσει τινῶν.	ξυνωμοσίαν κτλ. ὅρκων διδόντων αὐτοῖς καὶ συνθήκας κατ' ἐμοῦ πεποιηκότων. Ἄλλως· προδοτῶν τοῦ δήμου, τῶν συνομνύντων ἐπὶ τῇ καθαιρέσει τοῦ δήμου.
Ad v. 291: S s. gl. Τέμνειν· . . . . ὑποτέμνειν δὲ τὸ λοξώδη (scil. ποιεῖσθαι τὴν τομήν), ἵνα παχέα φαίνηται·	VΘ: . . . . ὅταν γὰρ ὑποτέμνεται, παχύτερον φαίνεται, ἀ-

[1]) ad Theocr. Adoniaz. pg. 388.
[2]) lege ἢ τὰ ἄχυρα τῶν πυρῶν.
[3]) redit apud Photium.
[4]) ἀλήθονται S. gl. Τὰς ὀδούς.

τὸ γὰρ ἀνώμαλον τῆς τομῆς παχύτητος δόξαν ἐργάζεται· ὅπερ ποιοῦσιν οἱ βυρσοδέψαι.

σθενέστερον δέ ἐστι .... τὸ γὰρ ἀνώμαλον τῆς τομῆς παχύτητος δόξαν ἐργάζεται.

Ad v. 301:

S s. gl. Ἀδεκατεύτους· ἀτελωνήτους, τὰς γὰρ δεκάτας τῶν κοιλιῶν τῶν θυομένων ἐδίδοσαν τὴν δεκάτην μοῖραν ἐν τῷ πρυτανείῳ.

VΘ:

Μὴ δεδωκότα ἀπ' αὐτῶν τὴν δεκάτην μοῖραν τοῖς θεοῖς. ἔθος γὰρ εἶχον τὰς δεκάτας τῶν θυομένων τοῖς πρυτάνεσιν οἱ μάγειροι διδόναι...

Ad v. 369:

S s. gl. Ξαίνειν· .... οἱ γὰρ βύρσεις τὰς βύρσας ξύλοις τύπτειν εἰώθασιν, ἵνα ἁπαλαὶ γενόμεναι διαλάβοιεν εὐχερῶς τοῦ φαρμάκου.

VΘ:

.... καὶ γὰρ τὰς βύρσας ξύλοις τύπτειν εἰώθασιν, ἵνα ἁπαλαὶ ὦσιν· ἔνιοι δὲ, ἵνα διαλάβοιεν εὐχερῶς τοῦ φαρμάκου.

Ad. v. 518:

S s. gl. Ἐπετείους· ... μὴ διαμένοντας ἐν τοῖς αὐτοῖς ἀεί, ἁψικόρους.

VΘ:

... μὴ διαμένοντας ἐν τοῖς αὐτοῖς, ἀλλὰ ἁψικόρους.

Ad v. 534:

S s. gl. Κοννᾶς· ... ὃς εἰς τὰ συμπόσια παρῇν ἀεὶ ἐστεμμένος. ἢ ὅτι Ὀλυμπιονίκης γενόμενος πένης ἦν, μηδὲν ἕτερον ἢ κότινον ἔχων. ἢ ὅτι αὐλητὴς ἦν ἄριστος, πενιχρός, πολλάκις στεφανωθείς· ἐφ' οὗ Κρατῖνος εἶπεν· Ἔσθιε καὶ σῇ γαστρὶ δίδου χάριν, ὄφρα σε λιμὸς Ἐχθαίρῃ, Κοννᾶς

VΘ:

... ὃς εἰς συμπόσια παρήει ἀεὶ ἐστεμμένος. οὗτος Ὀλυμπιονίκης γενόμενος καὶ πολλάκις στεφανωθεὶς πενιχρὸς ἦν, μηδὲν ἔχων ἀλλ' ἢ κότινον. ἐφ' οὗ Κρατῖνος εἶπεν· Ἔσθιε καὶ σῇ (τῇ Θ) γαστρὶ δίδου χάριν, ὄφρα σε λιμὸς Ἐχθαίρῃ, Κοννᾶς δὲ πολυ-

S:	VΘ:
δὲ φιλοστέφανός σε φιλήσῃ.[1]) λέγει δὲ αὐτὸν τοσαῦτα νικήσαντα μηδέπω τετιμῆσθαι.	στέφανός σε νικήσει. λέγει δὲ αὐτὸν τοσαῦτα νικήσαντα μηδέποτε τετιμῆσθαι.

Quo in Cratini uersu[2]) Dindorfius *φιλήσῃ* ex Suida correxit, *μηδεπώποτε* autem fortasse scribendum esse ex *μηδέπω* Suidae et *μηδέποτε* $V^{i}Θ^{i}$ scripturis Duebnerus coniecit.

Ad v. 826 ex Suidae s. gl. *Μυστιλλᾶται* adnotatione: *Ἰδίως δὲ μυστίλη λέγεται ὁ ἄρτος ὁ τοῖς κυσὶ βαλλόμενος* codicum *VΘ* *μυστίλλον* a Duebnero in *μυστίλην* correctum est.

Ad v. 857 pro codicum *VΘ* uerbis *δι' ὧν εἰσέβαλλον οἱ πολέμιοι* Suidas nescio an rectius subministret *δι' ὧν εἰσβάλλουσιν εἰς τὴν πολεμίαν*.

Item s. gl. *Φαεινός* ad v. 1256 Suidae uerba *φανερὰ ποιῶν τὰ πράγματα* et *ἢ ἀποφαίνειν ὅ ἐστι συκοφαντεῖν* praeferenda uidentur codicum *VΘ* scripturae *φανεροποιῶν τὰ πράγματα* et *ἢ ἀπὸ τοῦ φαίνειν, ὅ ἐστι συκοφαντεῖν*.

Ad v. 1293 *σιτοβύης* Dindorfius correxit ex *σιτούνης* auctore Suida s. gl. *Σιπύη*.

§ 30.

Restat, ut eos proferam Suidae locos, quibus noua uel auctiora scholia inueniuntur, quae non ipsas glossas earumque explicationes complectantur, sed aut ad ipsam histrionum chorique actionem pertineant aut in explicandis antiquitatibus Atticis aut in rebus biographicis aut similibus uersentur.

Itaque auctiorem scholii formam subministrat Suidas s. gl. *Σιβυλλιᾷ*; exhibitis enim eis glossae explicationibus, quae et ipsae in codicibus Aristophaneis comparent, post uersum ipsum 61 haec addit: *ἢ οὕτως· χρησμῳδεῖ, φησίν, ἐπειδήπερ τὴν προθεσμίαν τῆς ἐπαγγελίας οὐκ ἐψεύσατο, ἀλλ' ἐν ταῖς εἴκοσιν ἡμέραις, ἃς ἐπηγγείλατο, τοὺς Λακεδαιμονίους αἰχ-*

---

[1]) *φιλήσει* VB.

[2]) cf. Meineke fragm. Comic. I pg. 222.

μαλώτους ἤγαγεν, ὥσπερ μαντευσάμενος τὴν ὑπόσχεσιν, quae referenda uidentur ad historiam eam quam narrat Thucydides IV, 28.

Ad v. 262:

S s. gl. Χερρόνησος·	VΘ:
Θράκης χώρα. καὶ πόλις ὑποτελὴς τοῖς Ἀθηναίοις, εὔφορος εἰς πυρῶν γεωργίαν· ὅθεν καὶ ἐσιταγώγουν οἱ Ἀθηναῖοι. οὓς Κλέων διέσειε.	τῆς Θράκης χωρίον καὶ πόλις ὑποτελὴς τῶν Ἀθηναίων, εὔφορος εἰς πυροῦ γεωργίαν· ὅθεν καὶ ἐσιταγώγουν οἱ Ἀθηναῖοι. ὡς ἰδιοπραγμόνων δὲ καὶ ἰδιωτῶν ὄντων τῶν Χερσονησιωτῶν καὶ διασείεσθαι δυναμένων ῥᾳδίως, μάλιστα δὲ τοῦ Κλέωνος ἐπηρεάζοντος αὐτούς, τούτων ἐμνήσθη.

Hic Suidas uerbosam explicationem $V^i Θ^i$ non inepte in breuius contractam exhibet.

Versus 397 398 κοὐ μεθίστησι τοῦ χρώματος τοῦ παρεστηκότος s. gl. Ἐρύθημα his explicantur uerbis, quorum similia in scholiis VΘ non leguntur: τὸ γὰρ μὴ ἐρυθριᾶν ἐπὶ τοῖς εἰρημένοις. ἐπεὶ οὐ μεταβάλλει τὸ χρῶμα, οὐκ ἐρυθριᾷ.

Ad v. 401 καὶ διδασκοίμην προσᾴδειν Μορσίμου τραγῳδίαν s. gl. Μόρσιμος haec explicatio apud Suidam addita est: τουτέστιν, ἐκβαλλοίμην, καὶ συριττοίμην ὡς ἐκεῖνος.

Ad v. 524 Οὐκ ἐξήρκησε interpretationis causa haec adiciuntur: οὐκ ἀντέσχε πρὸς τοὺς τρόπους ὑμῶν.

Ad v. 848 s. gl. Πόρπαξ ex Suidae adnotatione: Ἀνετίθεσαν γὰρ τὰ ἐκ τῶν πολέμων ὅπλα ἄνευ ὀχάνων, ἵνα μὴ ἑτοίμως αὐτοῖς ἔχωσι χρῆσθαι Duebnerus ἑτοίμως uocem scholiis VΘ iure restituit.

Denique ad v. 9 s. gl. Ξυναυλίαν πενθήσομεν ad ea scholia, quae leguntur in codicibus VΘ de Olympo tibicine, ex Suida supplenda sunt uerba οὗτος δὲ ὁ Ὄλυμπος ἐν Φρυγίᾳ τοὺς αὐλητικοὺς νόμους ἐποίει.

§ 31.

Comparatis igitur scholiis Suidanis cum utroque codicum genere (R—*VΘ*) et prolatis propriis Suidae adnotationibus hoc statuendum est: secernenda esse scholia Suidana ex codice aliquo XI fabularum Aristophanearum descripta ab utroque illo codicum genere et singularem repraesentare classem, quae etsi aduenticiis et recentioribus adnotationibus similiter atque codices *VΘ* aucta et inquinata est, tamen compluribus locis integriorem scholii formam cum Rauennate, haud raro sola seruauerit, ideoque dignas esse Suidae adnotationes — emendatis scilicet et ipsius et librariorum erroribus — quae ad componendum uel ad perpoliendum corpus scholiorum in Aristophanis comoedias conscriptorum, quale parauit G. Dindorfius, ratione et consilio adhibeantur.

Haec habui in Equitibus Thesmophoriazusis Lysistrata scholiisque in eas conscriptis quae proferrem ad adumbrandam Aristophanis imaginem in Suidae lexico expressam. De codicis autem Aristophanei quem Suidas adhibuit auctoritate ita iudicabimus, ut non nimiam huic codici auctoritatem tribuendam esse censeamus. Nam et adnotationibus recentioribus nulliusque pretii eodem fere modo atque codices *VΘ* instructus erat et ad constituendum fabularum contextum in Thesmophoriazusis quidem contra unum R[em] permultis locis genuinam scripturam retinuit, propemodum nihil affert in Lysistrata, denique in Equitibus integram poetae comici lectionem saepissime cum altero utro ex codicum generibus R—*V-P-ΑΓΘΔ* seruauit, paucis locis et inter eos uno grauioris momenti (v. 517) cum solo codice *M* (Ambrosiano), cuius archetypum inter codices Aristophaneos singularem locum obtinuisse probare conati sumus, incorruptum Aristophanem repraesentat, raro denique solus ansam praebet restituendae uerae lectionis. In codice *M* autem aestimando concedendum quidem est, hunc librum utpote saeculo XIIII[0] exaratum non carere iis uitiis, quibus solent codices recentiores scatere, attamen uidetur codex *M* ex haud

contemnendae notae archetypo originem duxisse. Illud constat eam classem codicum, quam archetypo codicis M^{i} et deperdito codice Suidano XI fabularum Aristophanearum formatam esse suspicati sumus, ad R^{is} fidem bonitatemque minime adspirare, quamquam non solum in Lysistrata sed etiam in Equitibus obseruauimus codicibus S*M* R^{is} scripturam locis grauioribus comprobari, certe non ad eum corruptionis et interpolationis cumulum peruenisse classem illam libris S*M* repraesentatam, quo altera codicum familia *V-P-ΑΓΘΔ, LB* insignis est.

Index locorum emendatorum et explicatorum:

Lipsiae typis Poeschelii et Treptii.

